Delicię Apodemicę
M

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

1

DELICIAE APODEMICAE ET INDEX VIATORIVS, HISPANIAE INDICANS ITINERA, AB VRBE TOLETO, AD OMNES IN HISPANIA CIVITATES

& oppida, quorum indicantur DELICIAE, ſiue quid in eorum ſingulis delicatum, rarum, viſuque dignum ſit: de quibus Viator haud commonefactus admonituſve talia extare, in locis per quæ iter facit, plerumque negligit, præteritque, cuius ipſum poſtea pudet pigetque negligentiæ.

Bibliothe. Secr. Coll. Rom. Soc. Jesu



BIBLIOTECA NAZ. V. E. ROMA
BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

COLONIAE,
Apud VVilhelmum Lutzenkirchen.
Anno M. DC. VIIII.

CANDIDE LECTOR.

VTILITAS peregrinationis, candide Lector, per vniuerſam rerum naturam ſparſa eſt, nec vlla pars actionum humanarum reperitur, quæ peregrinatione iuuari non poſſit. Nam vt de ſordidis artibus nihil dicatur, nonne omnes artes, pro diuerſitate ſua, vno in loco melius exercentur quàm in alio, nonne in hoc illa, in alio alia? Quas ſi addiſcere velis, ſatius eſt, vt ipſe ea loca adeas, quàm vt eas domi diſcas, ab alijs, qui ne ipſi quidem illas probè didicerunt. Sic in Germania, Italia, Gallia & Hiſpania ars chalcographica excolitur, apud Getas ignoratur. Nec ſolum remotæ gentes alias artes tractant, verùm etiam vicinæ. Vt in Anglia æquè in vſu eſt ars chalcographica, ac in Germania, & Gallijs; in Hibernia non item, & tamen Hibernia Angliæ finitima eſt, & eiuſdem Regis Imperio paret. Arcu celebres ſunt Angli, ſed his celebriores Hiberni, & artis natandi peritiores, curſu ac vrinatione omnes alias Europæ gentes ſuperant. Quantam vtilitatem Architecto adferat peregrinatio, Vitruuius docet: quantam militi, Vegetius: Pictori autem, vel Statuario quantam, Equi Phidiæ & Praxitelis arte fabricati, teſtantur adhuc Romæ in Quirinali cum alijs Coloſſis, Statuis, ac Picturis, quas nullus artificum aſpicit, qui non idem eas admiretur, & inde abeat doctior. Nihil dicam de Mercatura, quæ peregrinatione quodammodo alitur, nec tam Hone-

BIBLIOTECA NAZ. VITT. EMANUELE ROMA

ſtatis cauſa exercetur, quam vtilitatis ac quæſtus: humanitatis ſtudia inſpiciamus, quæ Philoſophiæ nomine comprehenduntur, & reperiemus, illa antiquitus ab AEgyptijs alijs gentibus perdiſcenda fuiſſe, poſtea in Europam translata longo tempore in Græcia habuiſſe ſuas ſedes, quæ in Italiam migrarunt, & ex hac porrò in alias Europæ noſtræ regiones quaſi in colonias deductæ ſunt. Quis autem negat ex Philoſophia vtilitatem percipi ſolere, & eam olim in Græcia adeò floruiſſe, vt ſtudio perdiſcendi illius, omnes vndique, tanquam ad mercaturam quandam in eam regionem proficiſcerentur? id quod Plutarchus indicat, dum ait homines nullos eſſe, niſi mare eſſet, quo in Græciam nauigaretur. Iudicabat enim vir grauis ac ſapiens nullos appellandos homines, qui non itidem Philoſophia exculti eſſent, quod ingenium ac cultura animi homines faciat, nō forma aut figura corporis. Sed eſt nunc ea ingeniorum cultura Græciæ adempta, vna cum Imperio, & verendum ne alijs quoque, ad quos liberalium artium doctrinæ propagatæ ſunt, breui adimatur, ac in locum illius vetus barbaries ſuccedat, quaſi poſtliminio rediens. De hiſtoria & Poetarum ſcriptis nihil attinet admonere. Sunt enim quædam in ijs eiuſmodi, vt neque vlla orationis vbertate aut contextu ita effingi queant, neque interpretum diligentia ita explicari, quin aſpectum potius deſiderent. Vt cùm apud Vergilium picturarum mentio mentio fit, quæ ad naturæ ſimilitudinem expreſſæ eſſent, quas in templo Didonis conſiderabat AEneas, quod animi motus, perturbationes, & veras lachrymas in ſe continere viderentur, ait Poeta: Sunt lachrymæ rerum, & mentem mortalia tangunt, *&c. Hoc eſt, putares verè illacrymare illas imagines*

aut

aut figuras, & illa picta corpora inter ſe veluti commiſeratione quadam duci ac tangi. Hiſtoriæ verò teſtantur Zeuzin & Pharraſium pictores olim inter ſe adeo concertaſſe atque excelluiſſe, vt alter illarum aues deceperit pictis vuis: alter linteo picto eum ipſum qui aues deceperat. Sic etiam Protogenis & Appellis lineæ inſpectionem deſiderabant, & Iphigenium Timantis tantoperè commendauit Cicero, vt hanc vnam ſatis eſſe putarit, vnde omnes Oratores & Poetæ decorum obſeruare & affectus exprimere diſcerent. Idem ſentiendum de antiquitate. Coſmographiam & Topographiam non haberemus, niſi peregrinationis beneficio ea nobis concederentur: Aſtronomiæ cauſam eſſe peregrinationem nemo dubitat: Nam hac primum omnium, diuerſa Polorum eleuatio deprehenſa eſt, ex ea varietas Horizontium, & ex vtraque diſcrimina dierum ac noctium. Sed his omiſſis ad naturam ipſam & ad grauiora ſtudia nos conuertamus. Nemo opinor, negabit inueſtigationem naturæ vtiliſſimam eſſe, hæc verò nulla alia re magis iuuatur, quàm peregrinatione. Verbi cauſa, mala Perſica venenum ſunt in ea regione nata, è qua nomen acceperunt, in Germania inter bellaria habentur, & ſecundis menſis cedunt, quod vtrumque peregrinatione conſtat. Sic nec Cicuta in Germania nata, eam vim habet, quàm illa, quæ in Italia naſcitur: Palmam arborem Germania non nouit: Italia fouet, ſed ſine fructu propemodum: Africa verò, adeo abundat, vt ex fructibus illius cibum atque potum præparet. Denique alia alijs in locis naſcuntur, & nunc magis efficacia ſunt, nunc minus, varia inter ſe & diuerſa, quarum vires ac proprietates qui ignorat, indignus eſt nomine Philoſophi, nedum Medici, quem nihi

latere debet, quod ad rerum, locorum, ad hominum naturas & diſcrimina pertinet. Adfert quoque ſtudio iuris magnam vtilitatem peregrinatio, quod ius vno in loco diligentius traditur quàm in alio, & quod quædam in eo huiuſmodi ſint, vt propter vetuſtatem, vel nõ vſu ignorentur ferè, qualia fuerunt olim, niſi coram ea videas, Sic lapis turpitudinis aut. ceßionis bonorum videtur Patauij, in palatio Prætoris, cuius mentio fit in Gloſſa Iuris Ciuilis. Magna autem prudentiæ pars eſt, naturam ac mores hominum noſſe, & cum quibus quomodo viuendum ſit. Poteſt quoque aliena loca perluſtrare, ad confirmationem rei familiaris, nam in augenda illa, alij alijs rationibus ac compendijs vtuntur. Sed de his ſatis. Quod ſupereſt, Lector, exiguo ære compara tibi hunc libellum; quo duce, etiam domi ſedens iucundißimè poteris peregrinari.

ELEN-

ELENCHVS ITINERVM HVIVS LIBELLI.

ITer Toleto Cadahalſum, Abulam, Salamanticam, Ribadauiam, Orenſem, Ponteuedram, incipit. fol. 7.
Ite. Toleto Siſaponam, & Mirandam, incipit, 9
Taurum, Benauentum, Aſturicam, Compoſtellam, & Coruniam, 10
Areualum, Methimnam campenſem, Tordeſyllas, Methimnam Rio ſeco, Legionem & Ouietum, 11
Guadaramam, Segouiam, Pinriam, vulgo Valladelid, & Pallentiam 13
Burgos 15
Madritum, Lermam, Burgos & Santanderum 16
Cerueriam, & Laredum ibid.
Flauiobrigam, vulgo Bilbao 21
Oſmam, & Victoriam 24
Lugrunium, Toloſam, & Sancto Sebaſtianum ibid.
Ocaſonem, vulgo Fuenterauia 26
Calagurum, Roſcidam vallem, & Sant Ioannis pedis portus oppidum ibid.
Pompelonem 27
Turiaſonem, indeque Pompelonem ibid.
Alcalam de Finari, Guadalaiaram, Seguntiam, Methynam cæli, Arci, Boriam, & Iacam 28
Bilbilim, vulgo Calatajut & Iacam 29
Cæſar Auguſtam, & Oſcam 30
Monſonium, Balbaſtrum, Vrgellam, Perpinianum, & Salſulas 31
Ilerdam, Auſiam, Gerundam & Illiberim 32
Concham, Teruelum, Montemacum, Dertoſam, Tarraconem, & Barcionem 35

Am-

Ampoſtam 38
Valentiam ibid.
Alicantinam 39
Orcelim, vulgo Orchuella 40
Murtiam, & Nouam Carraginem ibid.
Almagrum, Guadixium, & Almeriam 41
Abderam 42
Iaen, Granatam, & Alhamam 43
Loxam, & Velis Malagam, & Malagam 49
Archidonam, Antequeram, Cartamam, & Hardales 53
Cordubam 60
Calatrauiam, inde Cordubam, deindeq; Ecyam, Oſunam & Zaharam 60
Borhos, Aſindum, Algezyram 68
Martiam, vulgo Marchena: Palenciam, vulgo Palacios: Cabecas: Nebriſſam, vulgo Lebrixa: Xereſium, vulgo Xeres de la Frontera: Cades, vulgo Cadiz: & Conilium 69.
Guadalupum & Tauilam 77
Myrtilim, Siluis, Oſſibonam, Albor, & Lagos 78
Pacem Iuliam, vulgo Badajos, & Orichium 79
Sinis 80
Emeritam Auguſtam, Pacem Auguſtam, & Eboram 81
Heluas, indeque Eboram ibid.
Hiſpalim, quæ vulgo Seuilla dicitur 84
Alburquerquium, & Oliſiponem vulgo Lisboa 88
Portalegre, Almerinum, inde Oliſiponem, deindeque Bethleem & Caſcale 89
Alcantaram, Tomaram & Leiram 96
Conimbtam 97
Placentiam, Cauriam, Guardiam, Viſeum & Eminium 98
Lamecam 99
Bracaram vulgo Braga 100
Tudam vulgo Tuy 102.

DELI-

DELICIAE ET ITINERARIVM HISPANIAE.

HISPANIA terrarum plaga comparanda optimis, nulli cedit, neque ſalubritate cœli, neque frugum omne genus vbertate, neque metallorum gemmarumque copia, quibus tota fermè ſcatet. Non vt Africa, violento ſole torretur, neque vt Gallia ventis, cœli rigore, humiditate terræ aëriſque fatigatur, ſed media inter vtranque verni caloris temperie & tempeſtiuis ſæpe imbribus, geluque Hyemis tempore fœcundatur, adeo vt Rex Hiſpaniæ non indigenis tantum, verum externis etiam remotiſque nationibus, ipſique Italiæ multarum rerum copiam ſuppeditet. Omni enim materia affluit, cuicunque precium aut vitæ neceſſitas fecit, aut humani ingenij vitium & ambitio conciliauit. Suaues imprimis arborum fructus ſunt, vinearum, viniique nobilitas præcipua: frumenti, mellis, oleique copia: pecoris, Saccari, Bombycis, lanarumque vis maxima: Argenti & Auri ſecturas habet. Ferrariæ vbiq; occurrunt: ſunt & Speculares lapides, ſunt & in armorum lapicidinæ, mira ludentis naturæ colorum varietate. Minij nulla regio feracior. Soli multiplex & varia natura: alibi multa arbor, alibi arboribus nudi montes agrique, rari ſæpe fontes, pingue ſolum, cum vigeſimo trigeſimoque ſæpe effi-

cit, nonnunquam octogeſimum excedit, ſed rara eſt felicitas agrorum eſt. Quæ mitiora ſunt, frugibus frumentoque ſeruiunt; cætera pabulo pecorum. Magnam Hiſpaniæ partem ſqualida ſiccitate loca, Rupes orridæ & ſaxa tenent (nonnulla ea iniuria eſt) qua certè parte ad Septentrionem vergit: Auſtralia benigniora ſunt, eximiaque felicitate conſpicua. Maritima piſcatu abundant, cuius in mediterraneis penuria eſt, propter maris longinquitatem; raris fluminibus; paucis ſtagnis: nihil tamen otioſum, nihil ſterile: quacunque parte frugum meſſis denegatur, Sparti copia funditur, ad nauticos funes conficiendos, varioſque vitæ vſus. Equorum velocitas tanta eſt, vt ex ea re, commento probabili vento gigni, apud exteras nationes vetereſque ſcriptores vulgatum ſit, Plinij etiam teſtimonio in extrema hiſtoria naturali. Quacunque ambitur mari, omnium terrarum optima & vberrima Hiſpania eſt, ſecundum Italiam: cui ipſi læta cœli facie, atque aëris, nulla paludum graui nebulu infecti, æquabili ſalubritate præſtat: ac niſi per æſtatem aliquando terræ ariditate, pluuiarumque inopia laboraret, rebus omnibus ad victum cultumque vitæ neceſſarijs, cæteras omnes prouincias Europæ atque Africæ abſque controuerſia vinceret. Hoc quidem tempore propter Indicum commercium, quo ad Orientis Occidentiſque Solis oras, Hiſpanorum naues noſtra & Auorum ætate, inuicta virtute penetrarunt, copijs omnibus, omneque genus mercibus beata, facilè regionum omnium obtinet principatum. Inde Auri, argenti, gemmarumque vis immenſa, ac vix finem

factu-

factura, ſi ad numerum referatur publicè & priuatim nauigationibus anniuerſarijs aduecta, propitio cœlo, magno gentis ſplendore famaque, aliarum nationum haud leui prouentu: ad quas ex illis opibus fructus redit multo maximus.

PORTVGALLIA, eſt pars Hiſpaniæ ſita in extremo littore maris Oceani. Fines eius ſunt ab Oriente regna Caſtellæ: ab occidente Oceanus: à Septentrione Galitia: a meridie mare Atlanticum, & Bætica, quæ iam Andaluſia vocatur. Hodierno die diuiditur in ſex partes, quas vernacula lingua vocant *Comarcas*: nimirum in ditionem quæ eſt vltra Tagum, in Extremaduram, in eam quæ eſt intra Durium & Minium (hæc pars vna cum regione, quę Coimbriam vſque pertingit, eſt vetus Luſitania) in Beiram, quæ poſt montes eſt, & in Algarbium; quanquam hæc poſtrema etiam regni nomen ſortita eſt. Continet in circuitu octingenta & quinquaginta milliaria: quadringenta ſecundum oram maris, & reliqua ſecundum fines mediterraneos, & ideo figuræ eſt longæ & anguſtæ. Habet octodecim ciuitates, multa oppida maiora & minora vltra quadringenta & ſeptuaginta. Tres harum ciuitatum habent Archiepiſcopos: videlicet Braccara, Olyſippo & Ebora: quorum primus non non tantum ſpiritualem, ſed & temporalem iuriſdictionem obtinet. Nouem verò ex illis Epiſcopali dignitate inſignes ſunt, Coimbra, Lameca, Viſeum, Portus, Miranda, Portalegre, Guarda, Leira, & Fluæ: reliquæ quinque Epiſcopis carent: videlicet Bragança, Tauira, Lacobriga,

Farus,& Siluesium: quarum quatuor postremę ſunt in regno Algarbij, à quo deinde alius Episcopatus ſub quo illæ omnes ſimul compræhenduntur, nomen ſuum accipit. Interluunt regnum complures fluuij, quorum duo ſunt celeberrimi, Tagus & Durius: ille muros Olyſipponis alluit, ſex aut ſeptem inde milliaribus in mare influit: iſte prope vrbem Portum præterfluens duobus infra eandem miliaribus, itidem in Oceanum ſe exonerat. Hi duo fluuij ab oſtijs ſuis vſq; ad vrbes quas prætergrediuntur, non ſunt amplius fluuij ſed potius maris ſinus & tutiſſimi, multarumque & magnarum nauium capaces portus, per quos aduerſo flumine, longiſſimo ſpatio nauigari poteſt, & præcipue per Sinum Olyſipponenſem: in quem vaſta nauigia per quindecim & viginti etiam milliarium ſpatium ingrediuntur. Præter hos duos eſt portus Setabal, qui viginti miliaribus Olyſippone Auſtrum verſus diſtat: ad cuius fauces Turricula quędam ędificata eſt: & in eum locum multis etiam nauibus aditus patet. In regno Algarbij ſunt Tauira, Lacobriga & Villa noua, portus mediocres, & præter hos nonnulli alij minores, & apta varijs in locis ad appellendas naues littora. Situm eſt hoc regnum loco commodiſſimo in medio multorum magnorum regnorum, & tum ad antiquas, tum ad recentiores nauigationes idoneo.

TOLETVM, vulgo *Toledo*, in alto atque aſpero loco ſitum, vrbs admodum eſt diues, multis & magnis mercatorum commercijs quæ hinc ad omnes fere populos Hiſpaniæ deferuntur. Hæc res in cauſa eſt, vt hæc ciuitas rebus omnibus abundet, quas

affe-

afferunt multi, qui res alias venales ibi emunt, & ad alios populos deferunt, hacque rerum commutatione continuoque commercio fit, vt res Toleti vilius vendantur, quàm in locis vnde vehuntur. Toletum nobilitat ampliſſimum & pulcherrimum templum, quod ſacras omnes ædes, & forma conſpicua, & magnis ædific.js antecedit, nam in eo feneſtræ ſpeculares complures, & imagines pulcherrimæ varijs coloribus admirabiles, & antiquas hiſtorias referentes, conſpiciuntur, hic perlucida ſpecula 750. numerantur. Huius Eccleſię antiſtes, in Hiſpania ſecundus eſt à Rege, non dignitate ſolum & authoritate, verumetiam populis vectigalibus & potentia, ſub cuius imperio, præter minores populos numerantur, oppida nobilia 17. ex quibus magnus Eccleſiæ Toletanæ reditus exigitur, cuius ſummma eſt anno quolibet ducentorũ millium ducatorum. Facit Toletum felix ac opulẽtum Tagus fluuius diues & amœnus, qui Toletanis piſces optimos ſuppeditat, hortos irrigat, materiã multam è nemoribus longe diſtantibus aduehit: Eius aqua quæ per aureas arenas defertur, eſt valde ſalubris. Vtraque Tagi ripa Orientem verſus arboribus, ad paſſuum millia fere quinque conſita eſt, & ad Occidentem tantundem: ad Meridiem verò & Septentrionem, præter vineas multas, ſunt etiam Amygdalorum & aliarum arborum nemora iucundiſſima Seruiunt Toletanæ ciuiati, tanquam dominæ, multis ac varijs rebus, oppida multa, pagorumque maximus numerus qui quidem Toletũ ditant, rebuſque omnibus abundare faciunt. Extra muros, ad partem Septentrionalem, fuit olim ma-

gnum Theatrum, cuius etiam nunc, etſi dirutum & quaſi complanatum ſit, forma veſtigiaque cernuntur. Inter multa alia vrbis Toletanæ mirabilia eſt etiam celeberrimum palatium ab Imperatore Carolo quinto reſtauratum, & nouis ſtructuris, regio apparatu exornatum, in quo eſt machina Hydraulica, quæ ex Tago flumine, opera magnæ, verſatilis, & excauatæ Rotæ aquas in fiſtulas & Tubos, per ſtructiles canales in ſummitatem arcis & montis, artificioſo impetu cogit & impellit, vbi in vnum locum & amplum receptaculum collectæ, in varios Arcis & totius vrbis vſus delapſæ diſtribuuntur, quæ riuulos deinde & fontes Hortis magnatum ædibus, Balneis, Fullonibus, & ciuium vſibus abundè ſuppeditant. Memorabile eſt, quod de Arce Toletana, Rodericus Epiſcopus Toletanus refert: *Anno Chriſti 700. regnante* (inquit) *Roderico Gothorum rege, erat Toleti palatium à multorum regum temporibus ſemper clauſum, & ſeris pluribus obſeratum; hoc fecit rex Rodericus contra voluntatem omnium aperiri, in quo præter vnā Arcā repoſitā nihil inuenit: qua aperta, reperit quendam pannum, in quo latinis literis erat ſcriptum, quod cùm contingeret ſeras frangi, Arcam atque Palatium aperiri, & videri quid ibi haberetur, gentes eius effigiei, quæ in panno erat depicta, Hiſpanias inuaderent, & ſuo dominio ſubiugarent, quod Rex videns doluit aperuiſſe, & vt erat prius, fecit Arcam & palatium inſerari. Erant autem in panno depictæ facies & vultus, diſpoſitio & habitus Arabum; qua pictura viſa, proceres timuerunt.* Hactenus ille.

ITER

ITER TOLETO CADAHALSVM, SALAmanticam, Riradauiam, Orenſem, Ponteuedram.

Lazaro Buey 2½. *Puente guadarama* 2. *Villa muel* ½. o.*Hueças* 1. o.*Naues* 1. o.*Silueſtra* ½. o.*Giſmonde* ½. o.*Eſcalona* 2. o.*Cadahalſo* 1. Simul 11.

Cadahalſum prægrandis eſt vicus in Aſcalitano agro.

Paredes 2. *Venta de los Locos deſguiſados Venta Tablera Zebreros* 3. *Barraco* 2. *Herador* 2. o.*Auila* 5. Simul 14.

ABVLA, vulgo Auila oppidum eſt Caſtiliç prçclarum.

Cardenoſa 2. *Helite Pennaranda* 6. *Alua* 4. o.*Salamanca* 2. Simul 14.

SALAMANTICA clariſſima eſt ciuitas, omnium virtutum genitrix, Equitibus & literatis ſumnis illuſtris, in qua eſt omnium rerum ſumma fertilitas. Hinc omnes ferè Hiſpaniæ vrbes & populi, tanquam à domina leges, inſtitutiones, & iura petunt. Hinc ad Curiam regiam conſiliarij, iureconſulti, theologi, medici, & cuiuſcunque ſcientiæ doctores & magiſtri proficiſcuntur, ex collogio præſertim, quod Iacobus Agiraius, Hiſpalenſis Archiepiſcopus condidit, & cenſu magno dotauit. Ad hoc literarum Gymnaſium, & omnium virtutum emporium quamplurimi, non Hiſpani ſolum, ſed aliarum quoque nationum, literis operam daturi conueniunt, qui ciuitatem per ſe nobilem atque diuitem, multo clariorem & opulen-

tiorem faciunt. In qua aliquando, qui literis operã dabant, millia ſeptem recenſita fuêre. A Salamantica ciuitate paſſuum millia circiter octo mons eſt, ex quo latitans aqua, per ſulphureas venas deorſum fluit, & prope flumen erumpit, quæ tanti caloris, quantum manus & nuda corpora ferre poſſunt, cuius aquæ virtutem cùm Maurus, vt ferunt, nomine Cepha, expertus eſſet, eam clauſit ædificio, tectoque lapideo cooperuit, quo & melius vim ſuam conſeruaret, & infirmi curari commodius poſſent. AEdificium aũt quod aquam ſiſtit, piſcinæ formam efficit. Ad quod aqua perueniens vbi profluere nequit, inferius creſcit, ac ſurgit in altum & aucta gurgitem præbet, in quo homines ad pectus vſque merguntur, & velut in pelago natant. Qui vbi languesсere incipiunt, calore ad viſcera vitalia penetrante, ſtatim egrediuntur & linteis inuoluti & palleis laneis cooperti, ſudando dormiendoque purgantur omni morbo, & præcipuè ſcabie. Huic autem balneo Ledeſma oppidum, cui propinquum eſt, nomen dedit.

Mermho 20. *Braganca* 8. Simul 28.

BRIGANTIA, vulgo Briganca, oppidum, caput eſt ampliſſimi Ducatus.

Villartam *Ribadauia.*

RIBADAVIA optimo vino albo diues eſt.

o. *Orenſe.*

AVRIA ſiue AVRISINA, vulgo *Orenſe*, ciuitas eſt Galiciæ nobilis, veteres Aquaſcalidas vocarunt, quod prope eam fons ſit, cuius aqua perpetua inflammatione feruet; adeo vt quibus ignis vſum expectare faſtidium eſt, aut quos inopia vrget, oua,

carnes

carnes & obſonia in ea percoquant. Præcipuè pilis vitulorum radendis (quarum in ea regione magna copia) eſt viui: nam citra vllam coquorũm moleſtiam dicto citius ablatis pilis, coria relinquuntur pura. Thermæ hic quoque varijs ægritudinibus ſalutares. Permulta præterea ſunt, quæ ciuitatem hãc amœnam & nobilem faciunt, prǽſertim excellens vinum, fructusque arborum varij, circumcirca adnaſcentes.

ITER TOLETO SISAPONAM & MIRANdam.

Auilam in itinere præcedenti numerantur 25.

Cardeno a	2.	*Berebiglia*	2.	*Collada*	2.
Reuilia	1.	*Flores dauila*	1½.	*Heite*	2½.
El cotorio	2.	*Coniza*	2.	*Fuente Saburro*	2.
Arguxillo	2½.	*Xambrino*	2.	*o. Camora*	2.

Simul 48½.

SISAPONA ciuitas eſt nobilis & antiquiſſima, quæ nunc Zannorenſis appellatur, frugiferis campis & amne Durio fertiliſſima eſt. Zamore ſiue Zemore nomen; ex euentu militis, vaccam nigram vocantis (eas enim Armentarij Moras appellant) impoſitum volunt aliqui. Alij affirmant, Zamoram quæ Sentica dicta ſit, poſt Arabum vaſtationem, Medinam Zamorrhati ab eis appellatam, atque ea voce ciuitatem Turqueſarum ſignificari, ideo ſic appellata, quod ſcateant rupes omnes in toto tractu Zamorenſi vena lapidis Cyanei.

o. *Miranda* 8.

MIRANDA ciuitas eſt in Portugalia, quæ appellatur Tranſmontana, non procul Brigantia,

ad Durium amnem. Eam Ioannes Portugalliæ Rex Epiſcopali ſede ornauit.

ITER TOLETO TAVRVM, BENAVENTVM, Aſturicam, Compoſtellam, & Coruniam.

Auilam vſque numerantur in itinere præcedenti mill. 25.

Collada 6. *Corita* 4. *Freſno* 2. *Boueda* 8. o.*Toro* 4. Simul 49.

TAVRVS, vulgo *Toro*, ciuitas in alto planoque loco ſita eſt. Eam nonnulli à Gothis conditum fabulantur, rubro vino nominata, frugibus quoque fructibuſque abundans eſt. Tauri ciuitatis mulieres, ſtatura Romanarum mulierum, formam vultumque referunt.

Villapando 4. *Aldea* 2. o.*Bonauento* 4. Simul 10.

BENAVENTVM oppidum eſt nobile, omnium rerum copia ditiſſimum, aquis abundans, & pulcherrimis ædibus Comitis Pimentelij illuſtre.

Los molinos 2. *Puente de berzaia* *Noaia* 2. *La torre* *La Vanpeza* o.*Aſtorga* 5. Simul 9.

ASTVRICA ciuitas eſt nobilis, nunc Aſtorga dicitur.

Palacios di Val *Duero* 2. *El Spital* 3. *El Reuauale* 1. *Fuente Medon* 1. *Venta* 1½. *Azeboa* 1½. *Riego* 1. *Molinſeca* 2. o.*Ponferrada* 2. *Cacaueros* 3. *Campo di Maraia* 2. o.*Villa Franca* 1. *Valcaſa* 4. *La Fara* 1½.

Cebre-

Cebrero	1. *El Spital*	2.	*Fuenfria*	1.	
Tre caſtelli	2. *Mutan*	2.	*Suria*	2.	
Guiada	1. *Puerto marin*	2.	*Gencan*	2.	
Legundi	2. *Puente capunna*	2.	*Mellid*	3.	
Archa	1. o. *Terres*	1.	o. *Alpienar*	2.	
Vacolla	1. *S. Marco*	1.	*Sant iago*	1.	

Simul 57.

COMPOSTELLA primum villa, deinde municipium, poſtremo ciuitas epiſcopali ſede nobilis, nunc à S. Iacobo nominatur. Ad eam ſe conferunt Principes, atque Reges Chriſtianitatis, magnaque eo ferunt munera.

Signeyro 4. *Buſca* 2. *Polo* 2. *Oſpital* 3. *Trameſſas* 1. *S. Chriſtina* 2. *El Burgo* ½. o. *Corunna* ½.

Simul 15.

Aliud ITER OLVCAM, vulgo *Lugo*, indeque Coroniam.

Mutan in itinere præcedenti numerantur Aſturica mill. 35.

o. *Lugo* 4. Simul 39.

OLVCA vetus cognominata, vulgo *Lugo*, ciuitas eſt antiquiſſima; fuitque olim maxima, & murorum amplitudine memorabilis.

Pitane o. *Corunna*

CORVNIA, vulgo *Corunna*, oppidum portu celebre eſt, qui olim Brigantinus dictus fuit.

ITER TOLETO AREVALVM, METHIMNAM campenſem, Tordeſyllas, Methimnam rioſeco, Legionem & Ouietum.

Zebreros in itinere præcedenti numerantur mill. 16.

Bar-

Barraco 2. *Herador* 2 o.*Sepulueda* 4. *Paiares* 4.
o.*Areualo* 4. Simul 32.

AREVALVM oppidum eſt celebre.

Ataquines 4. *S.Vincente* *Valverde*
o.*Medina del campo* 4. Simul 8.

METHIMNA CAMPENSIS, vulgo *Medina del campo*, omnium eſt rerum, propter hyemales nundinas menſes tres, totidemque æſtiuales, ibi celebratas, nobile Emporium. Hæc etſi ſæpius incendium paſſa, Soli tamen vbertate, nundinis, & mercatorum commercijs ditiſſima ſemper eſt, honorificis priuilegijs à Tributis & vectigalibus immunis. In ea neque Rex Hiſpaniarum ius habet creandi Officiarios, neque Pontifex Romanus conferẽdi beneficia, ſed incolæ plerumque atrociſſimè digladiantur in conferendis ſacerdotijs & magiſtratibus. Methimnæ campenſis panis & vinum, inter meliora totius Hiſpaniæ non immerito commendatur.

Rodillana 2. *Aniggo* 2. o.*Tor de ſillas* 2.
Simul 6.

TORDESYLLAS vulgo dictum oppidum memorabile, aliqui Turrim Syllanam nominant, campis fructiferis & regia domo magnifica gaudet.

Villalor 3. *Caſtro monte* 2. o.*Medina de rio ſeco* 2.
Simul 7.

METHIMNA RIO SECO, rerum omnium copia ſemper vberrimum, nundinarumque commercijs & ferijs admodum diues fuit oppidum.

Moral del reyna 2. *Villalon* 2. *Monaſterio della Vega*

Vega 4. *Manſilla* 5. *Villa noua* 2. o.*Leon* 2.
Simul 17.

LEGIO Germanica (vulgo Leon) regni caput, ciuitas eſt nobiliſſima, & templo pulcherrimo memorabilis, multiſque rebus, Templi ſui mirabili artificio merito præferenda. Nam etſi templũ Hiſpalenſe alijs omnibus multitudine præſtat; Toletanum diuitijs, ornamentis & ſpecularibus feneſtris ſit illuſtrius alijs: etſi denique Compoſtellanum fortioribus ædificijs, alijſque rebus eſt memorabile: Legionenſe tamen artificio ſingulari omnibus multorum opinione eſt anteponendum. In eius clauſtri Sacello iacent ſepulti 37. Reges, & vnus Hiſpaniæ Imperator.

Prania 6. *Panna flor* 4. *Caſtrapol* 6. o.*Ouiedo* 6.
Simul 22.

OVIETVM nobiliſſima eſt ciuitas. Olim Brigentium Beca dicta fuit, in qua Mauris olim per Hiſpaniam diſcurrentibus multa Chriſtianorum bona, templorum ornamenta adſeruata fuere. Epiſcopi quoque plerique Hiſpanię, quorum ciuitates à Mauris, aut occupatæ aut deletæ erant, in diœceſi Ouetenſi vitam vt poterant exigebant, vnde Ouetum ciuitas Epiſcoporum dicta eſt.

ITER TOLETO GVADARAMAM, SEGOuiam, Pintiam, vulgo Valladolid, Palentiam.

Venta del promutor	o.*Oltas*		o.*Cabanas*		4.
o.*Sediglio*	1.	o.*Viſo*	1.	o.*Zaraiique*	1½.
o.*La zarſuela*	2.	o.*Salſedon*	2.	*Brunet*	1.
La deſpegnada	1.	*Venta del molinillo*			1.
Naual queſiglio	1½.	o.*Guadarama*			1½.

Simul 17.

Gua-

GVADARAMA oppidum ſub monte ſitum eſt. Tabulatam id aliqui dicunt: paruis caſeis abundat.

V. de la croce *V. di puer freda* o. *Segouia* 8.

SEGOVIA populorum mater, nobiliſſima eſt ciuitas, Hiſpanorum Regum ſimulachris illuſtris & ædificijs, ponteque ſumma artę conſtructo memorabilis. In hac ciuitate ſunt plures Equites, nobiles, mercatores diuites, & venerabiles ſacerdotes, lanificio diues. Sita eſt Segobia alto loco & vndique Turribus & validiſſimis ædificijs munita. Abundat multis rebus, ad vſum vitæ neceſſarijs, quæ de multis partibus in eam deferuntur: neque minus abundat aquis per pontem & Aquæductus aduectis, & in quamlibet domum profuſis. In eius regione eſt oppidum nomine Sanctæ Mariæ niuis: item Iſcar & Cocca, populi diuites, optimo pane cæteriſque rebus notiſſimi, in Segouia nemo ocioſus, nemo mendicus, niſi per ætatem, aut morbum opus facere non poteſt: nulli deeſt vnde victum quærat, aut in quo ſe exerceat. Segouienſis pons, potius Arcus & Aquæductus dici poſſet, per quem aqua profluens, ciuitatem ingreditur & per omnes ferè domos diuiditur; in puteis quoq; æſtiuo tempore frigidiſſima conſeruatur.

Marcotea 4. *S. Maria de minia* 2. *Coca* 2. *Ventoſa* 2.
Moiadas 4. *Boezillo* 2. o. *Villa dolid.* 4.
Simul 20.

PINCIA, ſiue Vallisoletum, vulgo *Valladolid*, oppidum omnium quæ ſunt in Hiſpania maximum ac nobiliſſimum, ſitum eſt optimo loco, in Piſuer-

ga

gæ fluminis amœniſſima ripa, liberalibus diſciplinis & mechanicis artibus excultum. AEdificijs, ſacris ædibus, cœnobijs & duobus collegijs ornatiſſimum. Mercatorum commercijs & omnium rerum copia ditiſſimum: Vicis, plateis, muriſque illuſtris: Campis, fluminibus, hortis, fontibus amœniſſimum. In eo præter alias res memorabiles, Forum eſt venale ampliſſimum & pulcherrimum, in cuius ambitu, qui paſſus ſeptingentos complectitur, trecentæ triginta Ianuæ. Feneſtrarum tria millia numerantur. Foro coniunctus eſt vicus, qui ab argentarijs opificibus, Argentarius dictus eſt. Reges Hiſpaniæ, hoc oppidum quaſi domicilium placidiſſimum frequentant, in eoque omnes ferè Hiſpaniæ magnates morantur libentiſſimè. Hinc orientem verſus Cabeconnaria ſublimis Arx aſpicitur, ad eiuſdem fluminis ripam.

Caberon 2. *Duenuas* 2. *Palentia* 4.
Simul 8.

PALANTIA, nunc Palentia, nobiliſſima eſt ciuitas, in amnis Carrionis margine, vbi quondam literarum gymnaſium fuiſſe memorant, quod poſtea Salamanticam translatum fuit. Sunt in Palentina Diœceſi ſacerdotia gentilitia. Hanc ciuitatem aliqui coniecturantur, quam Plinius, Pomponius & Strabo Pallantiam vocant, & à Rege Palante conditam fuiſſe plures opinantur. Eſt Palentia câpis frugiferis, & omniû rerû copia fertiliſſima.

ITER TOLETO BVRGOS.

Segouiam numerantur in præcedenti itinere mill. 25.
Coca diſtat Segouia mill. 8.
Pennafiel 6. *Peſquera* 2. *Tortoles* 4.

Sal.

Salduendo 8. *Tramidos* 6. o.*Burgos* 2.
Simul 61.

ITER TOLETO MADRITVM, LERMAM, Burgos, Santanderum.

Viſo numerantur in itinere praced. mill. 6.
Xetaſe 6. o.*Madrid* 2. Simul 14.

Aliud iter.

Oriel 3. *Villa longa* 3. *Torrezonedes* 3.
Axitaraſ 3. o.*Madrid* 2. Simul 14.

MADRITVM, oppidum alij *Maioritum*, alij *Mantuam Carpentanam*, *Madrid* vulgus appellat. Eſt in optimo loco, & ſub claro cœlo ſitum, & non modo populoſum & cultoribus plenum ſed etiam multis equitibus nobile. Regnumque domicilium frequens propterea quod multis & magnis rebus abũdat, & ædibus magnæ familiæ capacibus. Hic eſt ſaluberrimus aër, vbi Carolus Imperator diebus paucis commoratus, morbo quartanæ quo diutius ltborauerat, liberatus eſt. Habet hoc oppidum terminos ampliſſimos, & fertiliſſimos campos quos Matricios lumbos appellant, qui quidem ſunt frugibus & vino cæteriſque rebus abundantiſſimi. Sunt & Silicum lapicidinæ, qui veluti ingẽtia ſaxa cernuntur in ædificijs. Quapropter hoc oppidum Hiſpanus Poeta Ioannes Mera vir doctus & ingenioſus, igne cinctum eſſe ſuis elegantiſſimis carminibus cecinit. Quod etſi ciuitas non eſt, ciuitatis tamen inſtar habet. In quo ſacræ ſunt ædes numero 20. præter alias quæ ſunt extra muros.

ros. In cuius oppidi circuitu, Turres numerantur octo & 20. ſupra centum, & in eius confinibus vndiq; populi ſunt optimi vini & aliarum rerum copia ditiſſimi. Sunt etiam Morani gladijs & Forcipibus nominati.

Alarozas 1.	*La Venta*	1½.	*S. Auguſtin*		1½.
Pardigli 2.	*Aldea*	1.	*Butiago* 3.	*Robrogordo*	3.
Samoſierra	1.	*Zereſe*	2.	*Aldea*	1.
Bozemiglias	1.	*Frocedillo*	1.	*Pardiglia*	2.
Aldea	1.	*Aranda de*	*Duero*		2.
Gumuldezzo	2.	*Bohabon*	2. o.	*Lerma*	3.
					Simul 31.

LERMA oppidum, frugibus & vinetis admodum eſt diues.

Cogollos 4. o. *Burgos* 4. Simul 8.

BVRGI, vulgo Burgus, celebris admodum & antiquiſſima eſt ciuitas, quam Masburgi dictam fuiſſe legitur: dicebatur & Auca, Plinius non Aucam, ſed Ceucam nominauit. Multis rebus inſignis eſt, & inter primarias totius Hiſpaniæ vrbes merito referenda. Eius incolæ non ocioſi, non circumforanei ſunt, ſed omnes, non modo viri, ſed etiam feminæ labore manuum ſibi victum quærunt, honeſtiſſimeque viuunt; aliqui exercent diſciplinas liberales. Mercatores, qui ciuitatẽ opulentã faciunt, fideles ſunt & liberales. Equitesq; plures in ea ſunt & potẽtes, immunitates, leges & priuilegia, quibus ciuitas gaudet, cõſeruare ac tueri diligẽtiſſimè ſtudẽt. Ciuitas Burgẽſis magnis pulchriſq;, nec minus commodis ædificijs eſt exornata, Foris venalibus, plateis, vicis, pontibus, templis, cœnobijs, amnibus exculta. Eccleſia maior, intus & extra, opere

eſt,& artificio mirabilis;In qua res diuina ſæpenumero celebratur cantoribus & organis, in quinque Sacellis inter ſe diſtantibus, nec alij alios perturbant. Ex Sacellis verò & Sacrarijs, quæ multa ſunt, illud vnum Caſtellæ Comeſtabilis conſpicuum atque ditiſſimum, non Eccleſiæ ſolum Burgenſi, ſed etiam cunctis ciuibus magno eſt ornamento. Sunt & extra vrbem domus hoſpitales, quæ regiæ dicuntur, inſignes & memorabiles magnique cenſus. Domus, quam Huelgas vocant Hiſpani, maxima ſacerdos, ſub imperio ſuo, diligentique cuſtodia, habet 150. moniales, quæ omnes Equitum, nobiliū & principum filię aut familiæ generoſæ ſunt. Præeſt etiam hæc ſacerdos, quam *Abadeſſam* vocant, alijs ſeptemdecim monaſterijs, & oppidis quatuordecim non ignobilibus, atque alijs minoribus quinquaginta. Confert multa ſacerdotia, cenſuſque Commendatarios viris XII. contribuit, & alia beneficia & officia: Magiſtratus & Gubernatores eligit ſuis ſubditis. AEdificauit hanc domum & ingens opus Rex Sancius, qui propter opera quæ fecit admirabilia cognomen Amati promeruit. Eſt itaque hæc vrbs multis magnificiſque rebus memorabilis, cuius homines ſunt humaniſſimi & aduenas maximè diligunt. Sunt & fideliſſimi ſuis Principibus, & hoſpites tolerant patientiſſimè, tractantque eos honorificentiſſimè. Supra Burgenſem ciuitatem ad paſſuum millia circiter 20. verſus Orientem, pagus eſt nomine *Boetius* ſub altiſſima rupe poſitus, ex qua fonticulus effluens, in planitiem apud pagum prænominatum deſcendit, & duos in lacus ingreditur, quibus tantam vim

ſalu-

ſalubritatis & virtutis infundit, vt omnes fluxum ſanguinis patientes, cùm hac aqua lauantur, ſtatim liberentur.

Villa franca 8. *Caſcares* 2. *Medina de Pamar* 3.
o. *Sant Ander* 8. Simul 21.

SANTANDER vrbs, ad littus Oceani Cantabrici, de radice montis leniter aſſurgentis eminet, aggereque humana arte operaque, veluti brachio in fluctus extenſo, quem ſua lingua *il muelo veio* vocant, ſingularem vrbi portum fecere, in cuius aggeris extrema ora, geranium extruxere, ad nauium exonerandarum vel onerandarum commoditatem, quod vernaculè *la Grua* vocant. Totus ſinus ille quaſi vnicus portus videri poteſt: nam per anguſtias quaſdam, veluti per oſtium huc irrumpit mare, ſeque intus diffundit latius, vndique alias natura concluſum. Ferunt hanc vrbem tantæ antiquitatis fama, cæteras eius regionis vrbes antecellere, vt incolæ eam à Noa conditam eſſe, dictitare & gloriari ſoleant. Forma oblonga eſt vrbs, intus plana, muro vndiq; cincta; ab ea parte, qua terram reſpicit ob foſſæ (quæ tamen vacua) profunditatem acceſſu difficilis. Aëre gaudet ſaluberrimo. Fontes habet tam intra mœnia, quam foris proximè muros, ſex excellentiſſimos, qui perpetua limpidiſſimæ aquæ ſcaturigine, incolis quaſi offerunt quantamcunque aquam vel ad vſum, vel ad voluptatem requirant. Suburbium vrbi ita adiunctum, vt vrbis nomine comprehendatur, tametſi murorum ambitu excluſum, hic ſeorſim ferè habitant, qui piſcatui operam nauant: nam cùm ſinus optimorum piſcium tanta abun-

det copia, vt incredibile videri poſſit; ſi ſpeciatim ſingula exponantur; plurimos eſſe facilè eſt cogitare, qui piſcatui incubunt. Portæ vrbis ſeptem numerantur: ipſa ædificijs alta ſuperbit; politiſſimè ea partim ex puro lapide, partim ex ligno conſtructa ſunt. Bina hic monaſteria. Summum in vrbe templum, vulgo *De los couerpos ſanctus* dicitur, ornatiſſima ſtructura ſuſpiciendum: Intus in circuitu Xenodochium habet, ſancti Spiritus nomine vbi pauperes quilibet benigne excipiuntur & pro neceſſitate tractantur diligenti cura. Medio interiori ambitu Pomarium includit, gratiſſimo floridarum arborum perpetuò odore fragrans. Inde mare verſus, Arx eſt antiquiſſima, non vrbis ſolum, ſed totius ſinus imperatrix, quippe cui expoſitum ſit quicquid toto ſinu apparet. A ſiniſtra vbi aqua ſe in ipſā infundit, ſunt ædificia, in ipſo Aquæductu patentibus atque elatis arcubus extructa, veluti Armamētorium quoddam nauale, vulgus Attalaſſanas vernaculê nominat. Hic naues naualiſque omnis apparatus fieri conſueuit. Crues ſunt bellicoſiſſimi vt ferè ſunt eius regionis omnes. Hac ferè vrbe exportatur, quantumcunque Caſtellæ regnum lanæ foras mittit. Verùm nec Bachus huic vrbi ſua dona negauit, ipſa enim vndique circundatur vineris, quibus hinc inde viridaria interiecta, ad voluptatem non minus, quàm ad neceſſitatem conſita, & amœniſſimum proſpectum & ampliſſimum vrbi fructum præbent. Adde his vicinos circumiectos pagos, pomorum genere frumentoque affluentes. In ſumma, hæc vrbs, ob portus commoditatem, rerum omnium diues eſt.

ITER

ITER TOLETO CERVERIAM, vulgo Cerуera,& LAREDVM.

Burgos in itinere præcedenti numerantur mill. 53.
Villatoro ½. *Autrar* 1. o.*Villa Verde* 1.
o.*Penna dorada* 1½. o.*Hautenel* 1½. o.*Ceruera* 1½.
Simul 60.

CERVERIA oppidum balneis ſalutiferis memoratum eſt, quo cauſa valetudinis homines complures lauatum ſæpe proficiſcuntur.

Elcueruo 1½. *Poſadoz* 1½. *Laboz* 1½.
Valdi Vacco 1½. *Mangeniglias* 1½. *Baruer* 3.
Villacatti 3. *Ouuera* 1. *El pado* 2.
Laveſtoſa 2. *Rauiales* 2. *Razunes* 1.
Ampuero 1½. *Colnides* 1½. o.*Laredo* ½.
Simul 25.

LAVRETVM ſiue LAREDVM oppidum eſt portu inſigne, ad Oceanum Cantabricum.

ITER TOLETO FLAVIOBRIGAM, vulgo Bilbao.

Burgos vſque numerantur in precedenti itinere mill. 53.
Venta Horones 2. *Rodiglia* 3. *Caſtello peones* 1½.
Birbieſca 1. *Bruſalegnea* 1. *Siueda* 1.
Puente le Ra 2. *S.Gadea* 3. *Berguanda* 1.
Effegia 1. *La venta* 1. *Baruerana* 2.
Ordnuna 2. *Durango* 2. *Villaro* 2. *Lod lo* 1.
Mirauales 2. *Rigoriaga* 1. o.*Bilbao* 2.
Simul 84½.

BILBAO vernaculè, Latinis Bilbaum, Flauiobriga, & Flauiogallica olim dicta, vrbs Cantabro-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

brorum eſt in Hiſpania, crebris, & varijs rebus ad humanæ vitæ ſuſtentionem neceſſarijs abũdans. Tribus verò in primis affluit, in quibus maximè commendatur: Situs videlicet opportunitate, annonæ copia, negociorumque & hominum mirabili varietate & multitudine. Sita eſt in loco plano, à mari duob⁹ milliaribus diſtans, aëre vti temperato, ſic valde ſalubri. Ab ea quam terram reſpicit, magnis montibus circumdata, nec frigori nimio obnoxia eſt: nec calore nimio torrida: Ab altera parte eſt in ora maritima oppidulum Portugalette, à quo riuus, ſiue maris brachium ingens non ſolum in hanc vrbem vſque, ſed in ipſos etiam domos influit. Hoc importari atque exportari paruo negotio viliq́ue precio, varia mercium, aliarumq́ue rerum genera indies eſt videre. Tanta annonæ copia abundat, vt vix in tota Hiſpania aliud oppidum ſit, quod ei hac in re conferri poſſit. Tritici ſemper ingentem vim aſſeruat, quo fit, vt nec inopia, nec fame vnquam laboret. Panis hic ſingulari excellentia præditus, ſingulatim is, quem incolæ *de arregoriaga*, aut *pandel fuego* vocant, quem in Furno non coquunt: Eſt tam præſtanti ſapore, vt non ſit alius cui rectè comparari poſſet. Vini quoque an vllum genus deſideretur non facilè eſt dicere: nam præter vernaculum & domeſticum, tanta aliorum vinorum copia huc aduehitur, vt vltra 20. vinorum genera, quandocumque libeat, hic facilè inuenias. Carnium inſigni & copia & bonitate gaudet, in primis verò Ouillæ & Bouillæ volucrumq́ue omnis generis. In Foro

ro indies centum & plures puellas videre eſt, quæ-
uis annonæ genera copioſè vendẽtes, quæ oẽs ince
dũtq́ capite aperto & nudo, capilliſq́; tonſis, nec tñ
inelegãtes. Hic enim eſt moris, virgines, antequam
nuptæ ſunt, nec capillos alere nec velari. Nec eſt
cur aliquod piſcium genus aliquis hic requirat, cũ
& optimi hic ſint & multi & recẽtes. Pomorũ eſt
hic vberrimus prouentus, taliſq́; vt niſi viderit ali-
quis præſens, adduci facilè non queat vt credat: de-
cẽ enim Marauedíſijs (quod pecuniæ genus hic mi-
nimũ eſt, & decimã ferè Stuferi brabãtici partẽ va-
lore æquat) tantũ Pomorũ vulgo emitur quantũ Mu
lus conſueto onere portare ſolet. Frequẽtia cõmer
ciorum, florentiſſimum eſt hoc oppidum, hic enim
plerumq; importari ſolet, quicquid vel Anglia, vel
Belgica, vel Gallia mittit, quãtumq; Hiſpania cum
alijs cõmunicat, hac ſolet exportari. Inter cætera
quæ euehuntur, plurima eſt excellentiſſima lana,
ex qua, in Belgicã deportata, ibidẽ fiunt excellẽtiſ-
ſimi panni. Conſtat hac lana quotãnis quinquagin-
ta naues onerari, quib⁹ quinquageſies mille Saccos
& amplius euehi confirmant. In ipſo Foro eſt Ma-
china ad imponendas nauibus merces exponen-
daſq́ue aptè conſtructa vbi, quantus ſit toto die ne-
gociorum feruor, mirabile eſt videre. Tota vrbe
paſſim nihil videas quam officinas & cellas, repo-
nendis & cuſtodiendis mercibus aptas, perpetuo
pleniſſimas: nauigationis enim commoditate fit,
vt vel raro, vel nunquam euacuentur. Fiunt in
hoc oppido & eius territorio quotannis pluri-
mæ naues quarum nonnullæ ingentes & altæ.

Reperire hic eſt ciues, qui ſoli, propria pecunia vno anno, tres quatuorve naues ædificari curant. Hic etiam omne genus apparatus nautici fieri conſueuit.

ITER TOLETO OSMAM ET VICTORIam.

Madritum in itinere præcedenti numerantur mill. 14.

Talamanca	6.	*Torre joncillos*	4.	*Vzeda*	2.
Galba	4.	*Myedes*	5.	*Retortillo*	2.
Freſno	4.	*Burgos doſmal*	2.	o. *Oſma*	2.

Simul 45.

OXOMENSIS ciuitas, vulgo *Oſma*, nomen & antiquam ſedem retinet. Plinio & Ptolomęo Vxama dicitur.

S. Leonardo	2.	*Pautilla*	6.	*S. Domingo*	4.
Retuerta	2.	*Cobarubias*	2.	*S. Pedro darlanca*	2.
Lara	2.	*Saltos*	2.	*Rodecilla*	2.
Torzillo	4.	*Naiara*	3.	*La peubla*	2.
Lanougo	2.	*La guardia*	2.	o. *Vitoria*	6.

Simul 43.

VICTORIA oppidum prope Cantabros eſt, in quorum montibus Iberus flumen oritur, nobis eſt Victoria, Alabæ prouinciæ caput.

ITER TOLETO LVGRVNIVM, inde TOLOſam & Sancto Sebaſtianum.

Torzillo in itinere præcedenti numerantur mill. 73.

Nauarrette 4. o. *Logronno* 2. Simul 79.

LV-

LVGRVNIVM, vulgo *Logronno*, oppidum eſt magnum & memorabile omniúmque rerum fertilitate præſtans, eius viri fide bellicáque virtute nobiles ſunt, immunitate & honorifico priuilegio ab Imp. Carolo V. donati. Logronij campi fertiles, vinetis, arborum fructibus, venationibuſque abundant.

Halcos 8. o.*Toloſa* 16. Simul 24.

TOLOSA ad confluentem Araxis & Oriæ fluuiorum, vrbs eſt metropolis Guipuſcoæ regionis, quæ Cantabriæ eſt pars.

Andom 2. *Vronta* 1. *S.Maria* 1. *S.Sebaſtian* ½.
Simul 4½.

SANCTI SEBASTIANI oppidum olim *Hicurn* dicebatur, poſtea *Don Baſtia*, & corruptè *Donaſtia*, nunc patria lingua incolæ *Donoſtien* appellant. Vnum eſt ex præcipuis oræ maritimæ oppidis Guipuſcoæ; ſitum ad fluminis oſtium quod veteribus Meulaſcum dicebatur, non procul ab ipſius opidi oppoſita maris crepidine. Hæc autem Guipuſcoa Hiſpaniæ regio, diuerſa eſt ab ea quæ Biſcaia dicitur, quamuis vtriuſque incolæ, & ijſdem ſint moribus, & eadem ferè pronunciatione vtantur in eo idiomate, quod à reliquis Hiſpaniæ populis diuerſum habent. Oppidum hoc ampliſſimo portu nobilitatur, in quo naues à ſæuientibus vndis, & à parum propitijs ventorum flatibus, ſecuram & tutiſſimam habent ſtationem, eo quod non induſtria arteque humana, ſed ſagacis naturæ prouidentia factus ſit. Quamobrem multum à mercatoribus Germanis, potiſſimum à Cantabris frequentatur,

qui varia merciū genera aduehunt,& in alias mundi partes exportant. Archiepiſcopatui Burgenſi obtemperat. Agrum habet frumenti vini & lanæ feracem. Progredienti vltra Sanctum Sebaſtianum ad milliaria Hiſpanica quatuor, occurrunt iuga montium Pyreneorum, quæ iuga ſeu faſtigia, illis locis ſermone vernaculo appellantur *La Sierra Laſquiuez.*

ITER TOLETO OEASONEM, vulgo Fuenterauia.

Toloſam vſque numerantur in præcedenti itinere mill. 103.

Andom	2.	*Vronta*	1.	*Eruadi*	1.	*Aſtigarenga*	½.
Renteria	1.	*Leco*	½.	o.*Fuentarauia*			6.

Simul 115.

OEASO caſtellum & loci ſitu & hominum ſtructura munitiſſimum, *Fuenterauia* noſtro ſeculo indigenæ appellant. In ipſo Hiſpaniæ citerioris Aquitanicæque Galliæ collimitio ſitum eſt, habens Portum in receſſu Britannici maris, atque à latere flumen nomine Vidoſo, quod in Cantabrorum iugis erumpens, caſtellumque præterfluens, in ipſum portum influit.

ITER TOLETO CALAGVRRVM, ROSCIdam vallem, vulgo Ronce Vaux, & S. Ioannis pedis portus oppidum, vulgo S. Iehan pied de puerto.

Retortillo in itinere præcedenti numerantur mill. 37.

Taiueco	5.	*Ahogar*	7.	*Soria*	4.
Binoes	6.	*Arnedo*	6.	o.*Calahorra*	4.

Simul 69.

CA-

CALACVRRVM, vulgo *Calahorra*, ciuitas eſt celeberrima ciue Fabio Quintiliano. Calaguri ciuium virtutem & fidem Cæſar Auguſtus expertus, eorum ſalutis ſuæ cauſa cuſtodiam elegit.

Carcar 4. *Lerin* 2. o.*Stella* 4. *Eſpinal* 14.
Ronceualles 2. Simul 26.

ROSCIDAVALLIS vulgo *Ronceualles*, Gallorum procerum nobiles ſunt clade, quo tempore Carolus Imperator cognomento Magnus, irrumpere in Hiſpaniam conatus eſt.

S.Iehan pied de puerto 4.

S.IOANNIS PEDIS PORTVS cognominatum oppidum in altiſſimis montium iugis ſitum eſt, mons aſcenſus eſt paſſuum millium circiter duodecim, vndique fontibus vbertimus, & multis rebus fertiliſſimus, in quo ferri plurimum effoditur. In iugo prætereà montis planicies eſt, & campus amœnus, omni tempore viridis. Eſt & Templum cognomine Caieta.

ITER TOLETO POMPELONEM.

Binoes in itinere præcedenti numerantur mill. 59.
Aguilar 4. *Ceruera* 3. *Alfaro* 4. *Manzilla* 2.
Muanda 6. *Tafalla* 3. *Puentela Reina* 3.
Treuas 3. *Colinas* 2. o.*Pamplona* 2.
Simul 91.

Aliud ITER TVRIASONEM, indeque POMPELONEM.

Lechon in itinere præcedenti numerantur mill. 37.
Almaſan 10. *Nepas* 4. *Otnega* 6. *Agreda* 3.
o.*Taracona* 4. Simul 64.

TV-

TVRIASO, vulgo *Taracona*, ciuitas eſt Aragrinæ antiquiſſimæ, campis vberrimis diues & rebus omnibus abundans.

Caſcante	2. *Tudela*	2. *Caparoſo*	7		
Oliua	3. *Larago*	1. *Puente la Reina*	4.		
Trenas	3. *Colina*	2. o.*Pamplona*	2.		

Simul 26.

POMPELON, vulgo *Pomplona*, à Pompeio Magno condita teſte Strabone. Pulchrius appellaretur Pompeiopolis. Eſt magna ciuitas, nobilis, & opulenta, regni Nauarræ Metropolis.

ITER TOLETO ALCALA DE FINARI, vulgo Alcala de Henares, Guadalaiaram, Seguntiam, Methimnam cæli, Calataiutum, & Iacam.

o.*Moceion* 2.	o.*Villa ſecca* 3.	*Borax* 1.
Ceſena 1.	*Cienpoxules* 1.	*S.Martin de la vega* 1.
Arauiues 2.	o.*Alcala de Henares* 2.	

Simul 13.

COMPLVTVM, hodie *Alcala de Henares*, à fluuio Henari oppidum, rerum omnium quibus humanus indiget vſus, fertile eſt, adeo vt ſuis prouentibus ſibi ſufficiat, nulliſque aliunde illatis rebus indigeat. Franciſcus Ximenius Hiſpaniæ Cardinalis magnis operibus & literarijs gymnaſijs nobilitauit Complutum.

Guadalajara 4.

GVADALAIARA ciuitatis nomen, multi lapidum flumen ſignificare dicunt. Abundat multis rebus, eſtque Ducum magnificis ædibus illuſtris, & Mendocie domus frequentiſſima ſedes.

o.*Tor-*

o.*Tortoſa*	2.	o.*Hita*	$1\frac{1}{2}$.	o.*Padilla*	1.
La Cala	1.	*Miralei*	1.	*Burcalaro*	1.
Los molinos	2.	*Vaydes*	2.	*Signeuca*	2.

Simul $14\frac{1}{2}$.

SEGVNTIA, vulgo Siguenca, nobiliſſima ciuitas, Templo, Caſtello, & duobus Collegijs memorabilis, multiſque rebus abundans eſt.

Fuente caliente o.*Medina* 4.

MEDINA COELI oppidum in loco eminentiſſimo ſitum eſt.

o.*Hareza* 1.

ARCI, vulgo HARICIA, oppidum eſt rebus neceſſarijs abundans & amœnitate locorum delectabile & hilare.

Montagudo 3. o.*Boria* 8.

BORIA ciuitas eſt non ignobilis prouinciæ Tarraconenſis.

Cortes	4.	*Ores*	5.	*Lueſia*	3.
Caſtillo	2.	*S.Cecilia*	16.	*Iaca*	2.

Simul 26.

Aliud iter BILBILIM, vulgo Calatajut & IACAM.

Medina cæli in itinere præcedenti numerantur mill. $35\frac{1}{2}$.

Cerina 4. *Bubierta* 4. o.*Calatajut* 3.

Simul $46\frac{1}{2}$.

BILBILIS, vulgo *Calatajut*, ciuitas celebris, vbertate Soli, frugiferis campis omnibus rebus fertiliſſima Martialis poëtæ celeberrimi patria eſt.

Ri-

Ricla 6.	*Epila* 4.	*Alagon* 4.	*Elfrago* 6.
Biel 3.	*Fidal* 2.	*S.Cicilia* 9.	*Iaca* 2.

Simul 36.

IACCA ciuitas in conuallibus iacens vnde nomen accepit, Epiſcopalis facta eſt ſedes, quæ antea fuerat Oſcæ, ea lege, vt captæ de Mauris Oſcæ honor priſtinus redderetur, Iacca etiam vrbe illi contributa, quod conſequentibus annis eſt factum.

ITER TOLETO CAESARAVGVSTAM,& Oſcam.

Bilbilim in itinere præcedenti numerantur mill. $46\frac{1}{2}$.

Freſno 2.	*Almnut* 3.	*La Muela* 5.	*o.Caragoca* 4.

Simul $60\frac{1}{2}$.

Aliud ITER CAESARAVGVSTAM, indeque Oſcam.

Guadalaiaram in itinere præcedenti numerantur mill. 17.

Tortoſa 2.	*Cifuentes* 6.	*Algora* 2.	*Lechon* 16.
Romanos 2.	*Villa real* 2.	*Carinnena* 4.	
Langares 2.	*Muel* 3.	*o.Caragoca* 4.	

Simul 60.

CAESARAVGVSTA ſita eſt in ripa fluminis Iberi, in loco plano, ex quo Iberus amnis inſigni ponte lapideo longo latoque tranſitur, vrbis ſitus Soleæ calcei formam refert. Portas habet quatuor, ad totidem partes mundi ſpectantes. Eſt & validiſſimis muris cincta, crebriſque turribus tuta. Cæterum ciuitas nunc multo maioris eſt incolatus. Sunt enim extra muros priores quampluri-

næ domus,& quaſi altera ciuitas, quam Cæſar Auguſtani populationes appellant. Sunt præterea & fora venalia ; templa inter muros vrbis & extra conſpicua. Tota ciuitas eſt ædificij,plateis,vicis, adornata, rerum omnium copia fertilis. Equitibus,bonarum artium diſciplinis exculta,mercatorum commercijs diues,mechanicis officijs decorata, campis, hortis, & arborum fructibus abundantiſſima. Sunt in ea duæ res memoratu digniſſimæ, Domus ſcilicet hoſpitalis, inter alias Chriſtianitatis inſignes reponenda, & altera prope vrbem in campo amœniſſimo ſatis grandis & inſignis, quæ dicitur Aliapharia.

Villa maior 4. *Cuera* 4. *Alcala* 4. *Maracos* 2. *Hueſca* 2. Simul 16.

OSCENSIS Ciuitas, vulgo Hueſca, nomen adhuc habet & dignitatem in Aragonia, retinetque etiam nunc veteris veſtigij formam & antiquæ maieſtatis imaginem aliquam, fundata à Sertorio Academia in hac vrbe, vt eſt à Plutarcho memoriæ proditum.

ITER TOLETO MONSONIVM, BALEAſtrum,Vrgelam,Perpinianum,& Salſulas.

Carinnenam in itinere præcedenti numerantur mill. 51.

Fuentes	8.	*Pina*	1.	*S.Lucia*	3.
Bitrialaros	3.	*Candaſnos*	3.	⊙*Monſon*	4.

Simul 73.

MONSONIVM oppidum rerum fertilitate ditiſſimum, & Aragoniæ regni conuentibus maximè celebratum eſt.

Bal-

Balbaſtro 3.

BALBASTRENSIS ciuitas Arcubus ferreis, quos Baliſtas appellant, nobilis eſt, rebuſque alijs abundans.

Graus 4. *Treps* 4. *Orguera* 6. *Vrgel* 3.
Simul 17.

VERGELA, vulgo *Vrgel*, olim Ilergetum dicta, ciuitas campeſtris, in Aragonia, fructiferum ſolum habet.

Tornoiata 14. o. *Perpignan* 14. Simul 28.

PERPINIANVM, vulgo *Perpigeam*, caput eſt Ruſciſnonenſis prouinciæ, ſoli fertilitate diuitis. Purpura & lanificio diues eſt Perpinianum.

Salſas 3.

SALSVLAE, vulgo *Salſas*, oppidum eſt cum arce muniti ſſima, Gallis, à quibus ſæpe fuit acriter oppugnata, obſtaculum magnum, adeo vt inde oppugnatione defeſſi deceſſerint.

ITER TOLETO ILERDAM, AVSIAM, GERundam, & Illiberim.

Lechon in itinere præcedenti numerantur mill. 43.
Azuara 9. *Elix* 10. *Scatton* 1. *Minqueſa* 2.
Seroſo 3. *Aytona* 2. o. *Lerida* 3.
Simul 73.

ILERDA, hodie *Lerida* dicta, ciuitas eſt nobilis inter Barcinonem & Cæſar Auguſtam, quæ ab vtraque pari fermè interuallo diſtat, memorata, Romanis bellis ciuilibus. Hic enim Iulius Cæſar

ce-

copias magni Pompeij, quibus Marcus Varro, Lucius Afranius, & Marcus Petreius præerant, ſuperauit. In ripa Sicoris poſita ciuitas, in altiorem collem conſurgit, templis & alijs ædificijs fructifero Solo, & antiquiſſimo literarum gymnaſio celebris: amnis præterea, qui ſaxeo ponte tranſitur, & aquis & aureis arenis inſignis. Ciuitatis etiam fines, Vrgelli fertiliſſimos agros attingunt. Vna re tantum minus felix, quod Hyeme nubiloſo plerumque cœlo tegitur.

Balagner 6. *Seneuia* 4. *Maureſa* 11. *Berga* 6. o.*Auſia* 2. Simul 29.

AVSIA, vulgo *Vich* ciuitas, olim Vicus aquarius dicta fuit.

Torcillon 2. o.*Girona* 4. Simul 6.

GERVNDAM ſiue *Gironam* condidit Geryon Chryſauri filius Hiſpaniæ Rex, quem Hercules interfecit. Dicitur Gerunda à *Geryone* & *Vnda* flumine, quod per medium fluit. Auxethanorum caput eſt.

Figueras 4. *Ionqueras* 5. *Pertus* 3. *S.Elina* 2. *Colibre* 3. Simul 17.

ILLIBERIS, nunc *Colibre*, in ora antiquæ Galliæ ſita eſt, vetuſtate & portus commoditate aliquanto, quàm elegantia & ciuium frequentia hac tempeſtate nobilior.

ITER TOLETO CONCHAM, TERVELVM, Montenacutum, Dertoſam, Tarraconem, & Barcinonem.

Ocanna 8. *Sauca* 2. *Tarancon* 4. *Horanda* 4.
Oneuca 4. Simul 22.

CONCHA, vulgo *Cuenca*, vrbs præualida, Maurorum opera ædificata, in arduo & prærupto colle: quem dextera leuaque Sucro vtroque amnes ſtringunt, altiſſimis rupibus; prorſus vt natura loci inexpugnabilis ſit, aſcēſus difficilis arctę viæ, arduæ, equiti plerumque inacceſſu, ac pediti vix peruiæ. Intra oppidum iugi aqua nulla ea tempeſtate vtebantur: noſtra ætate ex vicinis montibus perennes fontes in plateas deriuarunt. Itaque aqua prohiberi poterat, cingi obſidione non poterat propter locorum aſperitatem.

Palomera *La cierua* 4. *Huerta* 2.
Caſtillo 2. *Iaualoyas* 4. *Teruel* 4.
Simul 16.

TERVELVM oppidum eſt nobile.

Corualla 2. *Sediglias* *Montagudo* 3.
Simul 6.

MONACVTVS, vulgo *Montagudo*, oppidum campis fertilibus abundat.

Lepas 1. *Villa sigura* 1. *Fintaneo* 1.
Mirabel 3. *La motta* 1. *Folcal* 1.
Morella. 1. *Valiuanna* 2. *Traygnera* 3.
Las meſoncillos *Galera* 5. 0. *Tortoſa* 3.
Simul 22.

DERTOSA ciuitas, ripæ amnis Iberi appoſita, ſubuectionibus ex mari atque commercio commodiſſima, Orientem verſus à Tarracone paſſuum millia 50. remota eſt, præter vnam eius partem gemini colles & amnis Iberus vndique cingunt: in altero

altero colle caſtellum eſt foſſa valloq́ue valdè munitum, (quod vt multorum fert opinio) Romani quondam duce Iulio Cæſare condidere: ipſa verò Ciuitatis mœnia vel loci natura, vel ædificijs egregiè muniuntur. Pons eſt ligneus, magnis trabibus & tabulis latioribus contextus, atque ſuppoſitis nauibus clauis ferreis confixus, qui pro tempore cum ipſo flumine deficientibus aquis deprimitur, & creſcentibus attollitur. In extremis autem partibus faciles aditus & egreſſus præbet, iter magnis lapidibus ſtratum, quod ab vtraque parte in fluminis ripas deſinit, vbi geminæ Turres, amplaq́; ædificia conſurgunt, quibus lignei pontis extrema naueſq́; coniunguntur, & annulis ferreis magniſq́; catenis connectuntur.

Pereglo 3. *Hueſpetales* 4. *Miramar* 1.
Cambrus 2. *Tarragona* 2. Simul 12.

TARRACO prouinciæ Tarraconenſi nomen dedit, cæteraſque eius prouinciæ ciuitates dignitate præcedit. Fuit à Scipionibus condita, & Romanorum colonia. In ea, præter alias antiquitates, multa nunc etiam Romanorum Principum numiſmata reperiuntur in agris & vineis: Vnde conijcitur olim fuiſſe Tarraconem multo maiorem. Celebratur a ſcriptoribus multis rebus, & præcipuo vino, quod optimum legebatur, & hodie legitur. Eius Eccleſia conſpicua eſt multis ædificijs, & ſacerdotibus exculta, & titulo Archiepiſcopatus illuſtris. Sita eſt hæc ciuitas in littore maris mediterranei, & campos habet amœnos valdeque fructiferos.

Terre di Barca 1. *Bara* 1. *Conil* 2. *Villanoua* 2.

Eligies	1.	*Garaf*	1.	*Caſteldiſes*	1.
Samboy	1½.	*l'Hoſpital*	1.	*Barcelona*	1.

Simul 12.

BARCINO pulcherrima citerioris Hiſpaniæ ciuitas, in mediterranei maris littore ſita, ab Amilcate cui Barca cognomen, Anno 234. ante aduentum Chriſti fundata (vt in Euſebio computatur) quem Carthaginenſes cum iuſto exercitu in Hiſpaniam miſerant. Ciuitas eſt Barcino illuſtriſſima, Principibus, equitibus multis magniſque rebus domi foriſque geſtis clariſſima, adeo, vt eius nomenatque potentia non immerito Hiſpaniæ, Galliæ, Africæ, cæterarumque nationum principibus timori vel maximo fuerit. Florebat enim non ſolũ maximis opibus, ac diuitijs, ſed etiam plurimorum virorum prudentia ſingulari, optimis moribus & inſtitutis. Ciues omnes in adminiſtranda Republ. atque adaugenda, quaſi veterum Romanorum ordinem, moremq; ſequebantur: qui nihil nunquam nimis, ſed omnia, tam publica quàm priuata, pro modo rationeq; faciebãt. non igitur illorum diuitias remq; familiarem, vllę diſcordię, non lites, nõ iudicia, non iurgia, non ſeditiones, vt in pleriſque fit, minuebant. Quippe ratione potius naturaque, quàm legibus viuere malebant. Nobiles, armis & equis officijſque militaribus ſtudebant hiſque ſeſe exercebant, & aduerſus hoſtes feroces erant. Mercatores honeſtiſſimè commercia tractabant: in quibus exercendis, non tam quęſtus auidi, quàm ferè fideles & liberales erant. Sacerdotes & omnes, qui rerum ſacrarum curam gerebant piè ſanctèque viuebant, ſummaque veneratione atque timore diuino

nino cultui ſacriſq; reb. incũbebant. Reliqui ciues cuiuſque ætatis, aut liberalibus aut mechanicis artibus, quibus erat cultiſſima ciuitas, operam dabat. In qua nemo circumforaneus, id eſt, deſidioſus & iners erat, ſed honeſta omnes negocia exercebant. Itaq; nemo malus, nemo pauper, ſed optimus quiſque erat, atque ditiſſimus. Hac fama ciuitatis, non ex Hiſpania tota ſolum, ſed ex alijs quoque multis nationibus homines hic vndique quotidiè conueniebant, ciuitatemque libenter incolentes, indies maiorem ditioremque faciebant. Hinc propterea multæ ciuitates ordinem moremque viuendi ſanctiſſimum: Hinc exempla Reipublicæ pulcherrimæ: hinc cæteras bonas artes mutuabantur: Fuit enim Barcino ſitu admodum parua, ſed à littore maris, vno ferè ſtadio remota; pulchra tamen ædificijs, & altis tota mœnibus clauſa: ciuitatis portæ quatuor, in totidem partes mundi vergentes, æquo ferè omnes inter ſe ſpatio ſtantes, quæ adhuc exſtant, & in ipſius pene ciuitatis vmbilico viſuntur. Poſtea verò, creſcente hominum multitudine, bis vndique magnificis ædibus & cõſpicuis ſanctorum templis, bis etiam prævalidis muris ſuperbiſque Turribus cincta. Etſi magnitudine nonnullis vrbibus cedit, ædificiorum tamen elegantia; littoris amœnitate, viarum mundicie, vicorum rectitudine, æqualitate domorum, amœniſſimis hortis, quos varijs arboribus & nonnullis Palmis quæque domus cultiſſimos habet; forma denique rerum omnium, & excellenti pulchritudine cunctis ciuitatibus Hiſpaniæ eſt anteponenda.

ITER TOLETO AMPOSTAM.

Dertoſam vſque numerantur mill.	6.
Empueſta	Simul.

AMPOSTA oppidum in ripa Iberi amnis, inter Dertoſam & Celtibericum mare, diſtat ab vtroq; loco ſpatio ferè ſtadiorum 401. Oppidum vel loci natura, vel hominum induſtria munitum ſic ſe habet. Situm eſt in ripa dicti fluminis qui eius partes ferè duas, Orientem verſus circumfluit. Tertia verò pars, quæ ad occaſum ſpectat, ex amne, ab vtroque latere, duplici foſſa valloque validiſſimè cingitur. In medio porta, tum arte, tum etiam ædificio maximo valde munita, cum ponte ligneo, mobili tamen penduloque vt pro tempore cuſtodumque voluntate dimitti attollique facilè citoque poſſit. Et vterque locus, vbi muri foſſæque flumini coniunguntur, duabus oppoſitis Arcibus tutiſſimus. Arces quoq; vix expugnabiles, quarum fundamenta non in primo mobilique ſolo, ſed in imis latomijs, hoc eſt, lapicidinis, iacta firmaque conſurgunt.

ITER TOLETO VALENTIAM.

Nambroca	2. *Almonacid*	3. *Bogas*	2.		
Templicq	2. *Villacannas*	3. *Puebla*	1.		
Toroſo	2. *La mota*	2. *S. Maria de los lanos*	2.		
Pedernoſo	1. *Alberca*	4. *Cannauate*	3.		
Alarcon	3. *Montilla*	3. *Campillo*	2.		
Peſquera	3. *Paiazzo*	2. *Viuena*	*Candete*		
Vtrel	1. *Requena*	2. *Siete agnas*	3.		
Ventabunel	2. *Chiua*	2. *Miralcamp*	2.		

Quart

Quart	*2.*	*Alagnas*	*½.*	*Valentia*	*1.*

Simul 55½.

VALENTIA, ſuo illuſtrata nomine, amœniſſima ciuitas, totius Hiſpaniæ prouincijs nitore, ſplendoreque inſuper, nulli eſt ſecunda. Non longe à Valentia per occaſum Stagnum eſt, memoratu dignum, piſcoſum & immenſum. Hæc ciuitas ſanctum bene viuendi ordinem ſibi conſtituit, ſuis & honeſtiſſimis moribus, & ſanctiſſimis inſtitutis, inter ciues pacem concordiamque tuetur, lites & iurgia ſemper odit. Equitum præterea frequẽtiâ nobilis, mercatorum commercijs diues mechaniciſque officijs adornata, vbi lanificium fit maximũ & Panni cæteris totius Hiſpaniæ meliores, liberalibus diſciplinis eſt exculta, præclaris hominum ingenijs illuſtris, campis & hortis amœna, antiquitate venerabilis, vbi ad noſtram vſque ætatem multa perdurant antiqua marmora, Romanis inſcriptionibus inſculpta. Ager huius vrbis vbique à Mauris colitur, qui Auorum proſapiam lingua Arabica & religione Mahumetana palam & vulgo profitentur, in hanc vſq; diem: conniuentibus Rege & Inquiſitione Hiſpanica. Deliciarum & nobilitatis eſt altrix Valentia.

ITER TOLETO ILICEM ALICANTInam.

Toroſo in itinere præcedenti numerantur mill. 15.

Manianacas	2.	*Las meſas*	2.	*Prouenayo*	2.		
Niuaia	2.	*Reneda*	2.	*Gumera*	2.		
Chincilla	3.	*Pretulla*	2.	*Tala*	3.		
Albatera	3.	*Elche*	1½.	*Alicanti*	2.		

Simul 41½.

ILICE, ALICANTINA hodie, ciuitas eſt nobilis Hiſpaniæ Tarraconenſis, ad mare Balearicũ ſita. Eius Portus, qui Sinus Ilicitanus dicitur, naues tutas continet.

ITER TOLETO ORCELIM, vulgo Orihuella.

Renedam in itinere præcedenti numerantur mill.					25.
Santana	6.	*Touara*	5.	*Venta de Indio*	5.
Linela	2.	*Oribuella*	6.		Simul 49.

ORCELIS, vulgo *Oribuella*, ciuitas eſt Epiſcopalis. Eam Ptolomæus in Baſtitana ponit. Non deſunt qui pro Orcelis, *Ocelis* ſiue *Oceli* legẽdum putent.

ITER TOLETO MVRTIAM, & NOVAM Cartaginem.

Gumeram in itinere præcedenti numer. mill.					27.
Touara	7.	*Niuaterra*	2.	*Puerto di mala muger*	3.
Cieca	2.	*Lorqua*	3.	o. *Murcia*	2.
					Simul 46.

MVRTIA olim Oreola dicta dicta fuit, regnique caput eſt. Saraceni expugnata Granata Murtiam properarunt. Et Dominus Murtiæ egrediens eos infeliciter eſt aggreſſus, & in vrbis ambitu circumſeptus, cùm eſſet prouidus & diſcretus, fecit mulierum capita circumcidi, vt in muris à foris apparentes, viri feminæ crederentur, & Cannæ (quas manibus præferebant, lanceæ putarentur. Ipſe autem ſe ſimulans nuncium ciuitatis, exiuit ad poſſeſſores, & blandiens domino eorundem

dem ſecuritatis gratiam impetrauit, interpoſito fœdere induciarum. Tunc paucos ex eis introduxit in ciuitatem, & cum vidiſſent hominum raritatem, de datis inducijs doluerunt, nec tamen religione iuramenti treguas violarunt, ſed paucis Arabibus ibi relictis, cæteri Toletum iuere. Eam Alphonſus decimus Hiſpaniæ Rex Saracenis eripuit, Chriſtianis populauit, plurimumque dilexit, & illa fideliſſima ei fuit, in ſuis aduerſitatibus. Fictilibus & alijs rebus diues eſt.

Cartagena 8.

NOVA CARTHAGO, vulgo CARTAGENA, ciuitas multis authoribus celebrata, eſt in receſſu longo, inſula Portum efficit. Duo Hiſpaniæ Portus fama feruntur inſignes. Alter nouę Carthaginis, & apud Callecos; alter, in oppido Coronenſi. Vſque ad Gothorum tempora fuit Carthago precipua ſedes Hiſpaniæ, hodie nomen & dignitatem retinet Epiſcopalem.

ITER TOLETO ALMAGRVM, GVADIXIum, & Almeriam.

Nambroca 2. *Orgas* 3. *Tuenes* 3. *Roſatan* 2.
Malagon 3. *Carrioncillo* 2. 0. *Almagro* 3.
Simul 18.

ALMAGRVM lautum eſt municipium.

Fardilla 1. *El Corueato di calatraua* 2.
Venta la Reina 1. *Elviſo* 3. *V. Ilenuila* 2.
Venta de los palacios 2. *Vilches* 4. *La puente* 2.
Vbeda 2. *La puente de Vbeda* 2.

Las Guardas 4. *Solera* 4. o *Guadix* 4.
Simul 30.

GVADIX nomine Arabico nunc dicta, olim *Acos* dicebatur, in eius poteſtate eſt Baſtetana vrbs propinqua.

Baca 2. *Segraria* 2. *Dugnaria* 4. *Cobel* 3.
Almeria 3. Simul 14.

ALMERIA vrbs eſt ad mediterranei maris littus, ſita in Baſtetanorum & Baſtulorum confinibus, antiquis dicta Abdera, ſeu portus magnus. Erepta Mauris eſt Anno 1147. & viginti Maurorum millia, qui vrbe capta, in Arcē confugerant, pręmio vitam redimere cōpulſi, ſic piratis perfugiū ſublatū, vnde finitimis longinquiſq; littoribus imminebant, formidabiles Hiſpaniæ, Galliæ atque Italiæ. Ea expeditionem maturandi præcipua cauſſa fuit, Præda omnis militi diſtributa, Genuenſibus pręmium fuit vas Smaragdeum inſigni magnitudine, quod illi reliquæ prædæ præferendū tunc quidē iudicarunt, & nunc in Theſauris ſeruant. Alij ſcribunt in bello ſacro Cæſarea expugnata in Syria inuentum & opinio eſt in eo Chriſtum Deum, poſtremo cum Diſcipulis cœnatum, vulgi ſcilicet & ſine auctore. Clemens Alexandrinus in vili Catino cœnaſſe ait.

ITER TOLETO ABDERAM.

Siganna in itinere præcedenti numerantur mill.

Fregena 4. *Dalias* 3. *Adera* 5.
Simul.

ABDERA, vulgo *Adera*, Phęnicum ædificiū, ciuitas eſt Beticæ maritima, non procul Charidami promontorio.

ITER TOLETO IAEN & GRANATAM & Alhamam.

Vbedam in itinere præcedenti numerantur mill. 34.
o.*Baeca* 2. o.*Iaen* 4. Simul 40.

IAEN olim Menteſa dicebatur. Significat *Iaen* Maurorum idiomate gazam, & rerum omnium copiam. Eſt enim ciuitas nobiliſſima, ſub alto colle cincto, muris & propugnaculis ſita. Fontes habet amœnos & fertiliſſimos campos, hortoſque fructibus abundantiſſimos.

Cambick 3. *Guarda fortuna* 3. *Granada* 3.
Simul 9.

GRANATAM vrbem præclariſſimum dictam arbitrantur multi à Cocco, cuius in Bætica magna copia legebatur, quam rem *Granam* Hiſpani vocant. Alij Granatam ita appellatam volunt, à Mali Punici, quod & Granatum vocant, ſimilitudine: nam vt malum Punicum granoſum eſt, & Acinis, hoc eſt, granis denſiſſimis refertum; ſic & vrbs Granata denſiſſimas domos in dehiſcentis Granati ſimilitudinem habet. Vniuerſa igitur Granatenſis ciuitas, quæ communi nomine Granata dicitur, colles binos & altos, ac quaſi montes complectitur, quos Darrus amnis, per vallem mediam fluens, diuidit: quatuor vrbis regiones primariæ ſitu quaſi ſeparatæ, appellationes habent diuerſas. Ea vrbis regio, quæ loca magis decliuia & valles occupat, quæ & maximo decoratur Templo, Granata dicitur, reliquæ verò duæ, binos occupant colles, quarum altera Solis ſpectans exortum, regio Palatio illuſtris, *Sierra del Sol:* altera autem

autem *El Aluesin*, nominatur: Quarta verò vrbis regio, tẽporis ſucceſſu, ob maiorem populi, & incolarum frequentiam Granatæ coniuncta, antiquula dicitur. Primam vrbis regionem, quæ Granata dicitur, Eccleſiaſtici, ac viri nobilitate & opum magnificentia illuſtres prępotentes quoque mercatores tanto numero inhabitant, vt vici, qui plurimi ſunt, ob incredibilem ædificiorum frequentiam pleriq; ſint anguſti, & item plateæ & fora venalia, quæ tamen à Chriſtianis, poſt Granatæ expugnationem, facta ſunt ampliora & illuſtriora. Hinc fit vt hæc vrbis regio præ cæteris magnifico ædificiorũ ſplendore niteat, & hortis, venuſtè arboribus conſitis, gaudeat, in quibus magna Limonum copia inuenitur. Eſt in hac vrbis parte longè maximum tẽplum, quod ſumptuoſiſſimo ac mirabili opere cœptum eſt ædificari, ea propemodum forma, qua ad S. Mariam Rotundam Romæ, habens altare in medio. In ęde hac ſacra, eſt Sacellum ſplẽdidiſſimum, in quo Ferdinandus Hiſpaniæ Rex, cum coniuge ſua Regina Iſabella (qui coniuges hanc Granatenſem vrbem Mauris eripuerunt Anno à Chriſto nato 1480.) ſepulti iacent. Ab eo tempore recepta lege & conſuetudine maiorum obſeruatum fuit, vt Hiſpaniæ reges, in hoc Sacello ſepeliantur: Rari itaque operis Regum monumenta, ingenti impenſarum ſumptu perfecta, Sacellum templumq; hoc Granatenſe illuſtrant. Iuxta eſt perantiquum Maurorum Fanum, Meſquita eorum lingua nominatum. Eſt in hac quoque vrbis Granatenſis regione ſummum Tribunal, quo extremę omnium iudiciorum appellationes diriguntur. Qui huic iudicio præ-

præſunt *Oidores* appellantur: dum hi in Tribunali, Serico, Auro, Argentoque magnificè ornato, res in controuerſiam vocatas diſcutiunt, regiam maieſtatem ipſam repręſentant, eaque ſalutantur reuerentia ac Maieſtas regia ſi coram eſſet. Eſt & hic platea magna & plana, nuper à Chriſtianis inſtructa, quã *Biuarambſam* Mauri vocant, & arenariam ſignificari dicunt, in qua fons eſt excelſus & inſignis. Cãpus præterea totus in circuitu dealbatis ædibus, crebriſque feneſtris conſpicuus. Huic plateę foroque venali eſt coniuncta domus, quam Alcacer iam vocant, in qua ſunt Tabernacula numero ferè ducenta, in quibus Panni ſerici cæterarumque rerum merces quotidie venduntur: parua ciuitas poſſet dici hæc domus: cellulas ea habet multas, & decem portas in quibus trãſuerſis catenis ferreis, propter vicorum anguſtias & negociantium frequentiam prohibetur equitantibus ingreſſus. Eius Præfectus foribus noctu clauſis hic habet excubias, & canes vigiles, exigitque Regis nomine à ſingulis Tabernis vectigal. Darrus amnis, omnibus ferè ciuitatis domibus ſuffundit abundè aquas, ſuppeditatque aurum quærentibus, quod in eo inuentum viderũt aliqui: Daurus quaſi *dans aurum* dici ſolet, vulgo Balneum pecoribus ſalutiferum dicitur, quod eius aqua omnes animalium morbos curet. Vtraque ripa Dauri, varijs multiſque iungitur pontibus, quorum vnus in Granata videtur admirabili ſtructura, habens in medio fontem, magno cum impetu copioſam ac lympidam aqua ſcaturientem. Quam plurimi etiam fontes paſſim hic, agroque vicino, ſalubri natura & conditione inueniuntur adeo vt

ſpa-

ſpacio millium 27. fontes oriantur 36. Altera vrbis regio *Albambre* nomen habet, quam Mauri ſua lingua *rubram* ſignificare dicunt: & hoc nomine dici vel à conditore, homine rufo, vel à rubra terra, quæ nunc etiam in ædificijs cernitur. In ea eſt Regum Granatenſium Palatium vetus vermiculato marmoreoque lapide: permagnis ſumptibus olim conſtructum: cui quidem Arci ſiue loci amœnitatem, ſiue gratiſſimum multorum fontium murmur conſideres, nihil ad voluptatem defuit. Eſt etiam hic nouum Hiſpaniarum regis palatium, tanta magnificentia, forma ac venuſtate conſpicuum, vt fidem propemodum excedat, & totius vniuerſi Mirabilibus adnumerari queat. Domum hanc regum delicias non immerito dixeris. Situ enim amœnoque proſpectu adeo excellit, vt incredibili oblectatione oculorum ſenſum afficiat: quaqua enim verſus ex ea proſpexeris, habes quod Dei bonitatem agrique Granatenſis fœlicitatem admireris: Verſus Solis exortum atque Meridiem, ſe offerunt altiſſimi montes, perpetua niue, vel æſtiuo tempore, menſeque Quintili regnanteque Canicula candentes, dicuntur ideo niuoſi. Quouſque verò in Septentrionem atque occaſum oculorum acies ſe extendere poteſt, peramœna planicies, lętis admodum floridiſque pratis omne frugum genus ſumma abundantia proferens videtur. Hanc etiam regionem, domus ad montium radices, *Generalipha* delectationis voluptatiſque gratia à Maurorum Regibus ædificata, commendat vbi ſyluulæ arte conſitæ arbores patentibus ramis, generoſis fructibus graues, Se-

pi-

pimenta roticulata ſunt: vt & ferè beſtiæ frequenti numero: nec ſua etiam auribus ex ſuauiſſimo fontium vndique diſcurrentium murmure, hoc loci deeſt oblectatio. Tertia Vrbis regio *El Aluéſin*, duos complectitur colles, frequentia ædium admirãda cultos, quæ quod à ſolis Mauris quondam habitabatur, non altera ciuitatis regio, ſed diuerſa planè natio habita, & idiomate à reliquis Granatæ incolis eſſe ſeparata videbatur. incolæ agricultura & Serici Textrinis, vt plurimum ſibi parabant victum: & quanto hi vxorum luxui, Serico aureo, argenteo, ac præſtantiore veſtitu indulgere, tantum ſibi viliori habitu viri ſolebant adimere, Saccum in humeris, etiam prædiuites geſtabant, vt qualiacumque onera mercedis conſequendæ gratia petentibus ferrent. Quarta regio Antiquerula, ſitu plano, complures habet domos, in quibus Bombycinus cuiuſuis generis Pannus conficitur. Vrbis circuitus complectitur paſſ. mill. 12, totaque vndique mœnibus cincta & 1030. propugnaculis tuta eſt Granata. Eius Portæ XII. quæ ſunt ad Occidentem, faciles habent exitus & campos amœnos. Cæteræ verò ad orientem ſubdifficiles. Eſt autem in vrbe Granata totaque eius regione, omnium rerum, humanæ vitæ cultuiq; neceſſariarum magna fertilitas, & ſaluberrima ſemper aëris cœlique temperies, vbi tellus neque nimio ſolis ardore torretur; neque frigore contrahitur, itaque eius incolæ perfruuntur perpetuo temperamento.

Elgaro 4. 0. *Alhama* 3. Simul 7.

ALHAMA haud ignobile Hiſpaniæ oppidum

7. mil.

7. milliaribus ab ampliſſima Granatenſi vrbe diſtans, à Mauris conſtructum, certiſſimis hiſtoriarũ monumentis perhibetur, quibus etiam maxima ex parte, ante poſtremam ipſorum ſeditionem incolebatur, quos rei frumentariæ negociatio, & aſſidua agrorum cultura alebat. Situ oppidum eſt tam amœno, vt Afris regnum Granatenſe quondam tenentibus, optatiſſimos receſſus regiamque quaſi ſedem & aulam ipſis Maurorum regibus præbuerit, eo quod varijs multiſque dotibus oppidum hoc agrumque vicinum ipſa natura locupletarit, adeo vt locus ipſe, ſuapte quadam amœnitate & vbertate voluptati ac gratijs videatur eſſe dicatus. Etenim tam fertilitate ſoli, quàm altiſſimas atque præcipites montium rupes valles atque fontes conſideranti, nihil huic loco, ad delectationem deeſt. Quas quidem omnes Dei Opt. Max. naturæq; dotes, aquarum calidarum vberrimi fontes, infinitis propemodum modis ſuperant, qui peculiari & ſecreto naturæ miraculo, ſponte, nullo planè externo Vulcani artificio adhibito calent. Hæc iuxta oppidum *Alhama Therme*, vel principem inter Hiſpaniæ miracula locum, optimo iure ſibi vendicant. Eius aqua limpida, tanto nitore videndi ſenſui ſe offert vt vel exiguus in fundo nummulus, perfacilè agnoſci queat. Aqua nec tepida nec prorſus feruens, moderato calore eſt, quem nudum hominis corpus commodiſſimè ferat. Et quia ſapore amaro, aut ingrata aliqua naturæ qualitate infecta non eſt, etiam pota, ad varias corporis ægritudines curandas efficaciſſima habetur. Itaque huius Balnei in Hiſpania frequentiſſimus vſus eſt, eo, quod

tam

tam bene valentibus, qui voluptatis gratia lauare, cutemq; curare cupiunt, oportunè deſeruit, quàm iјs, qui quocumque morbo laborant, præſidij & medicaminis loco habetur: quotidianis ſiquidem experimentis probatur, quod mirifica medendi facultate polleat. Singularis quoque artificis induſtria, balneorum amœnitatem ſtructuræ elegantia multum adauxit: Sunt enim fornicata viuo ſectoq; ex lapide loca, gradibus peropportunè inſtructa, quibus calidam in aquam pro diuerſa lauantium voluntate deſcenditur. Huius autem Balnei Martio atque Septembri ſalutaris potiſſimum vſus, vulgari Hiſpanorum exiſtimatione habetur. Eſt & ampla hic domus, in quam ex vniuerſa paſſim Hiſpania diuertere ſolent: quæ vti omnem in ſtabulis commoditatem equis atque iumentis; ita cubicula, ſpondas, lectos lodices, focum, cæteraque valetudini curandæ neceſſaria hoſpitibus præbet. Iuxta oppidum præcipites arduorum montium rupes videntur, ex quibus Riuulus grato murmure delabitur, qui ex niuoſis iuxta Granatam montibus ortus tanta frigiditate eſt, vt inde *Rio frio*, hoc eſt, riuulus frigidus dicatur. Thermarum muros alluit, & calidam ex Balneis aquam abſorbet.

ITER TOLETO LOXAM, & VELIS MALAgam.

Malagon in itinere præcedenti numerantur mill.					13.
Vela	2.	*Ciudad Real*	2.	*Caualuches*	3.
Almadouar del campo			3.	*Venta nueuas*	6.
Ventala	4.	*Andujar*	6.	*Martos*	4.
Alcala Real	4.	*Se juia*	2.	*o. Loxa*	6.

Sim. Iss.

D Lo-

LOXA nobile Hiſpaniæ oppidum, ſitu tam amœno ac eleganti excellit, vt vniuerſum eius territorium, hortum ac Pomarium ſumma diligentia cultum eſſe dixeris, in quo Opis, magna Deorum mater Tellus, efficaciũ herbarum ac fructuum cornu plenum effudiſſe videatur, propter perpetuas in eo herbas, flores, ſegetes ac gramina, quibus campi magna cum ſpectantium voluptate veſtiuntur, obque virentium arborum frequentiam, quæ præſtantiſſimos fructus mira abundantia quotannis incolis præbent. hortulani hic plurimi & telluris cultores inueniuntur, qui ex ijs quæ terra ex ſe fundit, victum quæritant. hi hortos habent, varia fructuum affluentia ditiſſimos, omniſque herbarum genere decenter ornatos, qui non victui tantum quotidiano, ac eſui ſunt accommodæ, ſed & voluptati vbi libuerit, morbiſque medendis ſeruiunt. Venationibus etiam ferarum vt plurimum hic incolæ ſtudent, eo quod ob miram pabuli abundantiam, paſſim leporum & cuniculorum greges, in patentibus campis, paſcuis atque nemoribus venantium oculis obuerſentur, quibus aut canum ſagacitate, aut falconum induſtria, aut deniqueMuſtelarum ſolertia inſidiantur. eas enim in ſpecus & occulta terræ foramina immittunt, vt cuniculos è cubilibus ſuis, in apertum fugere cogant, quos deinde eiectos capiunt. Montes huic oppido vicini, inculti quidem ſunt, non tamen ſaxoſi, aut horridi, ſed quia naturæ clementia pabuloſi, pecori alendo peropportunè deſeruiunt. Quare huc quouis ferè tempore, minoris pecoris greges agere ſolent, qui in his montibus mã-

magna ſecuritate, non ſine ingenti indigenarum lucro, diuagantur. Hinc lanam, hinc vellera, hinc pelles lanatas, annuo prouentu colligunt, quas ad vrbem Granatenſem, in qua multi lanificij artem exercent, deferunt, vbi vſui humano aptatæ, ad varias Orbis partes deinde exportantur; in Italicas potiſſimum & Belgicas vrbes. Quia vicinum huic oppido Solum, pabuloſum, ac ouium optima nutrix; idcirco niuei lactis, ouini caſei, ſapidiſſimique Butyri feraciſſimum eſt, hinc indigenæ & quos grata paſſim agricultura ſuſtentat, maximo hominum confluxu, hebdomadatim eſculenta ad forum Granatenſe comportant; vbi ea quamprimum, ob incredibilem, in ea vrbe hominum frequentiam, conuertunt in promptam pecuniam.

Cartama 4. Velez Malaga 6. Simul 10.

VELIS MALLAGA nitidum Hiſpaniæ oppidum verſus Solis exortum, quinto diſtans lapide à Mallaga oppido, & dimidiato miliari à mediterraneo mari, amœniſſimis cinctum campis, fructiferiſque collibus, in quibus caſtrum ab Afris & Mauris quondam ædificatum, conſpicitur. Agrum habet atque conualles, omnium rerum, tam ad vſum, quàm ad voluptatem mortalium fertilem. Ex hortis ſiquidem opere & arte conſitis, generoſiſſimi mirabili abundantia percipiuntur fructus, vtputa poma aurea, Granata, Limones, Citrones, &c. Colles non tam aruis & arationibus, quàm vuis paſſis ſunt beati, ſic vt oportunitatem ampliſſimæ rei, vindemia præſtet: cuius hic ſummum ſtudium, vberrimos accolis fructus reddit; hic

MALAGA vrbs eſt Epiſcopalis Hiſpaniæ Bæticæ, ſitu, emporio, rerumque omnium & neceſſitati & voluptati deſeruientium affluentia celebris. Huc variarum nationum mercatores potiſſimum Belgæ, maxima frequentia confluunt quotannis, vt eos, quos delicatiſſimos vindemia hoc loci ſuppeditat fructus exportent, quod ampliſſimi lucri occaſionem, non huic oppido tantum ſed & populo agroque vicino, in quo hi fructus colliguntur præbet. Vnde facilè quidem incredibilis alias, huius Soli vbertas intelligi poteſt; dictu ſanè mirum, quantam frumenti, Olei, vini, pomorum, præſtantiſſimorum denique fructuum abundantiā fundat. Hic etiam amœniſſimi horti, generoſis arboribus, culti herbis odoriferis, fontiumque murmure præſtantes, magna cū delectatione videntur. Quin etiam contra hoſtiles inſultus vſq; adeo munita eſt hæc vrbs, firmiſque mœnibus ſepta, vt valli, inuictique propugnaculi vicem contra Africā obtineat, habetque Hiſpaniarum Rex hic Armamentarium, omni armorum, machinarum bellicarum, commeatuſque genere inſtructiſſimum, ex quo maximis impenſarum ſumptibus perpetuum præſidium in ſuis Africæ oppidis ſuſtentat atque communit.

ITER TOLETO ARCHIDONAM, ANTEqueram, Cartamam, & Hardales.

Alcala Real in itinere præcedenti numerantur mill. 47.

Priego 3. o. *Archidona* 8. Simul 58.

ARCHIDONA in Betica prouincia Hiſpaniæ oppidum, viam, quæ Hiſpali Granatam

ducit, plano & eleganti ſitu ad montis radices, venuſtè exornat, rei ruſticæ & pecuariæ ſtudio, nauiter ſuos exercet, cùm paſcuis & hortis abundet. Imminens illi mons, in vertice caſtrum vetuſtate collapſum ſuſtinet, in quo Mauri ſua tenuerunt præſidia ad maximam Chriſtianorum calamitatem ac barbaram tyrannidem, qua multis annis omnes Hiſpaniæ prouincias, & præſertim hanc Beticam diris modis afflixerunt. Eâdem hac viâ, quæ ex Hiſpali Granatam ducit, præcelſa eſt rupes ex plano campo emergens, quæ ex memorabili amoris exemplo, famam & nomen ſortita eſt, vt Hiſpanis *la Penna de los enamorados*, hoc eſt, *Amantium rupes* dicatur. Et id quidem tali ex cauſa. Cùm regnum Granatenſe Mauris adhuc pareret, & graue bellum inter ipſos & Chriſtianos flagraret, quodam in conflictu inter cæteros captus Chriſtianus eſt, quem Maurorum Rex ob formæ, morum, & conſeruationis venuſtatem, libertate donauit, eundem apud ſe in aula retinens. Porrò ſenſim inter hunc & filiam Regis, tanta & tam caſta coaluit familiaritas, vt ipſa Chriſtiana pietate imbuta, matrimonijque ambo fide & obſtricti ad Chriſtianos conarentur elabi, & ſic fugam cum ipſo clam molita ſit. Cùm autem Rex diligenter illos perſequeretur, in hanc rupem, vt ibi deliteſcerent fugerunt. Poſtquam verò ſe detectos, & rupem à Mauris vndique circumſeptam animaduerterunt cacumen rupis aſcendentes, territi ſupplicio, quo ſe à Rege afficiendos metuebant, mutuo amplexu, præcipites ſe dederunt.

Antequera 6.

ANTEQVERA oppidum eſt admodum memorabile regni Granatenſis in Hiſpania, ſitu montoſo & inæquali, à Mauris prima fundatione conſtructum, qui validiſſimis idipſum muris cingere cœperunt, ea potiſſimum parte, qua montium dorſo ſuſtinetur, qua verò in planiciem ſe leniter extendit, Chriſtianorum labore ac ſumptu perfectum eſt, vt mœnibus defenſioni oportunis circumdatum. Caſtrum habet in montis vertice, *Alcaſalia* vulgo dictum, vti amplum atque magnificum, ita probè munitum, in quo Mauris hæc loca tenentibus Granatæ reges, vt plurimum, & ſæpius quàm Granatæ (loco alioqui læto ac perameno) agere ſolebant, eo quod lætiſſimus vndique ager, videndi ſenſum ex hoc caſtro, tanquam ex ſpecula quocumque oculorum aciem conuertas, mirè afficiat. Adhæc fontium hic nitidiſſima aqua lucentium, tanta frequentia, quanta ſuauiſſimo riuulorum murmuri concitando ſufficiat, quos varijs in locis hic aſperi & cauernoſi montes, gelida aqua fœti vberrimè euomunt, qua Mauri ad quotidianum vſum admodum delectantur. Eius caſtri portæ omnes ſunt ferreæ, in quo etiam hoc tempore plurima Maurorum bellica & caſtrenſia inſtrumenta aſſeruantur, veluti Loricæ, Spicula, Gladij, Scuta ex pelle ferro affabrè confecta, quibus vniuerſum obtegunt corpus & hoſtium tela excipiunt. Squamoſa etiam & oſſea inſtrumenta, quibus ſiniſtri brachij anteriorem partem communiunt, ne, dum ſagittas ſæpius in hoſtem contorquent, recurrentes Arcuum nerui, manicarum

plicis impediantur. Videntur & oblongæ Maurorum haſtæ Sagittæque hamato præacutæ ferro: & arcus ex nobili ligno confecti, quod ob humoris ſoliditatem extenſum, mira facilitate in priorem ſitum redit, in quibus ſumma Maurorum gloria & ſpes quaſi extrema, dum manus cum hoſte conſerunt, eſt repoſita. Tanta ſiquidem arte, vi atque induſtria Arcus contorquent, vt loricam, & Solis ardore atque geſtatu calefactum Thoracem ferreum, ſine difficultate ſæpe traijciunt ac penetrent. Iuxta caſtrum, homines nobilitate clari; tam loci amœnitate, quàm aëris puritate adducti domicilia ſua habent; latiſſimam verò ſubiectam planiciem agricolæ ſtudiosè colunt, & ij quidem opum affluētia felices, quas partim ex agris, partim ex Salari negociatione (quam plerique exercent vberrimo prouentu) conſequuntur. In vicinis oppido montibus, plura ſunt loca Salinis naturæ beneficio opportuna, vbi paſſim incredibili abundantia, candidi Salis grumos cōſpicias, q quidem non ignis adminiculo concoquitur, vti in Saxonia & Zelandia maximis ſumptibus fit, ſed ſolis ardore, quemadmodum ad vrbem Calatiranam in Sardinia, & iuxta Ceruiam in Romanula ſiue Romandiola. AEſtiuis enim menſibus, tam fontium quàm pluuialis aqua, in montibus collecta, vehementi Solis ardore concreſcit, ac tandem concoquitur, vnde tantam Salis copiam conficiunt, vt magna ex parte, huic Hiſpaniæ tractui ſufficiat. Ijſdem etiam montibus ſunt Fodinæ inexhauſtæ, è quibus præſtantiſſimi lapides, ad ſumptuoſiſſimorum operum & ædificiorum ornamenta idonei eruuntur. Quinetiam hi mon-

montes alterius quoque lapidis fœcunditate præſtant, quem *Hyeſſo* vulgari Hiſpanorum idiomate nuncupant, eo quo Calcem, imo multo aptius Gluten conficiunt, quod vſitato nunc nomine Architecti *Tarras* appellant, quod muros & ædificia consolidandi & confirmandi vim maximam habet; hoc ſiquidem lapidis genus igni concoctum, contuſum, per incerniculum cribratum, aquaque deinde materatum, Calcem aut tenaciſſimum reddit Cæmentum, quod in priorem ſoliditatem deinde coaleſcit. Quo ſtructuras tanta induſtria componunt, & tenaciſſimas muris incruſtationes ſuperinducunt, vt ædificia continuo ex lapide facta, non manu compoſita videantur. Eadem etiam Calce ſiue potius Gypſo, vtuntur Glutinatores, in obturandis fictilibus & ligneis vaſis, quæ condimentis & vario facta liquore, in Indiam, aliaſque regiones tráſmittunt. Viſendę & ſuſpicięda capacitatis vaſa fictilia hoc loci cóficiunt, quæ *Gaſteria*, hoc eſt, vétricoſa non ineptè dixeris, ad condendá & aſſeruáda cibaria, & cuiuſcumque generis liquores, aquá, vinum, oleum, Cappares, oliuas, &c. quorum vel vnū modo, ob incredibilem ſui capedinē, integræ familiæ domeſticæ refocillandæ toto anno ſufficiat. Hæc vaſa vulgo *Tenaias* nūcupant. Iuxta Antiquerá fons eſt, cuius aqua calculos diſſoluit, ideoq; *Petra*, quam extrahit per vrinam, cognominatus eſt.

Venta del rio	3.	o. *Cartama*	4.

Simul 7.

CARTAMA milliaribus duobus à Malaca diſtans, maximi montis radices, ad mare vſque Mediterraneum ſe extendit; oppidulum cum caſtro &

continenti ſitum in agricultura & paſcendis pecoribus ſe exercet. Multas in vicinia habet Glandium & Gallarum ſyluas, quarum ad Atramentum conficiendum, & ad coria denſanda; tum etiam in medicinis eſt vſus. Venatio hic & aucupium frequens, & venuſta loci elegantia: hic enim ſe aperire incipit cultum & fœcundum Malacenſe ſolum, quod ad Mediterraneum mare, continuata vbertate ſe extendit, vt varia fructuum & herbarum genera, quæ ad exteras gentes procul emittuntur, producit. Inter reliquas herbam quam Itali *Sumacho*, Hiſpani *Summagre*, Belgæ *Somack, etiam Smack* nuncupant: apud Latinos nomen habere negat Plinius. Foliorum vis ad paranda condenſandaque Hircorum & Caprarum coria (*Corduana* vocant) conducit. Et, qui canos oderunt capillos, decoctum foliorum, ad denigrandos capillos adhibent. Multi etiam hic Cappares hinc inde promiſcuè in magna abundantia prouenıunt, & à vulgari plebe collecti, Malacam harum mercium emporium portantur, indeque per mare in Belgium & ad alias prouincias tranſuehuntur. Porrò hic mons cui Cartama adiacet, verſus Aquilonem omnino ſilueſtris eſt; ab alia autem parte, vineta ſunt, quæ vina nec non vuas paſſas ſaporis optimi, læta copia præſtant. Inter vineta autem videre eſt amygdalas, frequentes Ficus, quæ propter præſtantiam, abundantia maxima ſingulis annis ad omnes prouincias ratibus tranſportantur. In duas autem partes diuerſaſque appellationes hic mons diuerſus eſt, Vna, *la Sierra*, altera *la Cerquia* nominatur; vnde etiam vtri-
uſ-

uſque loci vuæ paſſæ nomen ſortiuntur. Earum conficiendi condendique modus eſt hic. Eas potiſſimum Mauri conficiunt, qui hos montes plerumque incolunt. Duo ſunt vuarum paſſarum genera, quorum vnam vuam paſſam Solis, quæ eſt cærulea, alteram vuam paſſam lixam, quæ eſt Corbea, nuncupant. In prima conficienda ita procedunt: quando Botrus ad id deſtinatus matureſcit, pedunculum vuæ abſcindunt, ad medium, ita vt humor radicalis illum amplius penetrare nequeat, attamen in Pampino & vite penſilis maneat; Tum calore Solis exſiccatur vua, poſt ſufficienter exſiccatam, colligunt & in vaſa recondunt. Alterum verò genus hac ratione conficiunt. Dum vineæ putantur, abſciſſos brachiorum ramos, in faſciculos colligant, eoſque ad vindemiæ tempus reſeruant, quos tunc exurentes, parant ex cineribus in magnis vaſis lixiuium, & vnamquamque vuam ſingulatim huic lixiuio immergunt, eaſque deinde in Aream obduratam beneque purgatam, ad in vinea adornatam, circa meridiem collocant, vt ibi in eas lixiuio conſperſas Solis radij operentur. Exſiccatas, & à Sole ſufficienter concoctas Corbibus inſerciunt. Hinc nuncupantur vuæ paſſæ Corbeę. Eodem etiam modo fiunt ficus Corbeæ, ex ramorum aridorum ex ficubus amputatorum & combuſtorum lixiuio.

Almagen 4. *Campillo* 2. o. *Hardales* 3.
Simul 9.

HARDALES ſiue ARDALES, in feliciſſimo totius Hiſpaniæ agro Hiſpalenſi (*Axarafium* vocãt Arabes) Beticæ prouinciæ, itinere, quo ex Xerez Ma-

Malagam itur, oppidum, ſeu potius apertum & ampluin hoſpitium, Hiſpanis *Burgada*, Arcem habet præcelſa in rupe à Mauris quondam in limitibus Hiſpalenſis imperij conſtructam. Quam Chriſtiani deinde fœliciore auſpicio rerum domini, amplioribus ædificijs condecorarunt: Aquæductus hic eſt, cuius beneficio ex meatibus vicinis, fontana & limpida aqua in Arcem, & inde in oppidum, ad varias ciuium commoditates deriuatur, quibus copioſum fontem largitur. Ciuium opes, victuſq; ratio in agricultura potiſſimum conſiſtit, & pecorum paſtus ac felix aruorum vbertas magnam triticeæ meſſis lætitiam ipſis naturæ beneficio præbet, vt non immerito Græcorum carmina Elyſias amœnitates huic vicino Hiſpalenſi agro tribuerint. Hinc frugibus, tritico præſertim, abundant, quod in ſubterraneis cellis ſeu puteis eleganter & cautè conſeruant.

ITER TOLETO CORDVBAM.

Almadouar del campo numerantur in præcedenti itinere mill. 21.

Tartanedo	2.	*Venta molinillo*	2.		
V.del Alcaldo	½.	*V.Talada*	1.	*V.del Herero*	2.
V.Guadalupes	1.	*V.Nuevas*	3.	*V.el Albama*	1.
V.de la croco	1.	*V.los locos*	1.	*V.di freſuedillo*	1.
V.dos hermanos	1.	*Feſira*	1.	*V.Mauagunte*	1.
V.la dolce	1.	*Adamuz*	1.	*V.di mal abrigo*	1.
puente dataola	1.	*V.del menton de la terra*	1.		
o.Cordua	1.			Simul	45½.

Aliud ITER CALATRAVAM, indeque CORDVBAM, deinde Ecyam, Oſunam, & Zaharam.

Roſatan in itinere præcedenti numerantur mill. 10.
Calatraua 7. Simul 17.

CALATRAVA oppidum, loco munito in Oretanis ad Anam fluuium ſitum, quo tempore ereptum eſt Mauris, templarijs militibus, quorum magna erat opinio virtutis, muniendum cuſtodiendumque datum eſt, vt arcis inſtar eſſet ad Barbarorum incurſus arcendos, ad quod cùm Mauri magno numero obſeſſum venire nunciarentur, illi defenſionis ſpe abiecta, oppidum reddiderunt. Neque erat inter proceres, qui aut vltro nomen profiteretur, aut ea de re abs Rege appellatus ſuo periculo oppidum defendendum ſuſciperet. Duo Ciſtercienſes monachi, quos res aliæ in Curiam euocarant, Toleti eo tempore moram trahebant, Raymundus Fiterij ad Piſoricam Abbas, atque Raymundi ſocius Dieghus Velaſquius, Is vetus antea Alphonſi Imperatoris miles, multiſque bellicis operibus clarus, rerum deinde humanarum contemptu cucullum induerat: & vt erat magno animo, monendo, ſuadendo, hortandoque cunctantem, effecit vt, oppidi defendendi curam ſuſciperet. Rex vt præmium labori eſſet, Calatrauæ principatum cum ſubiecto agro dono dedit B. Mariæ ordinis Ciſtercienſis atque eius nomine Raymundo Abbati & ſocijs iure perpetuo. Cùm defenſionis rumor percrebuiſſet, Mauri ſpe deiecti, aut alijs rebus impediti Calatrauam non venerunt. Id felix fauſtumq; & bene ominatum initium eius militiæ fuit: nam plerique milites Abbatem ſecuti veſtem mutarunt, quàm ille inſignem attribuit, eiuſque formæ, quæ armorum vſum non impediret. Ex cœno-

bio

bio cui Præfectus erat, magnam pecoris vim abduxit, atque ex vicinis oppidis hominum 20. millia, quibus agri diuiſi, & oppida Calatrauæ vicina, quoniam incolis vacua erant, domicilijs deſignata. Ea diligentia Calatrauæ oppidum aduerſus omnem iniuriam egregiè eſt munitum. Ab his initijs ſacram Calatrauæ militiam, in hunc quem cernimus ſplendorem perductam Alexander III. ſuo diplomate confirmauit, Garſia eius Ordinis primo Magiſtro Anno 1164. Domicilium quod Calatrauæ primo collocatum eſt, Ciruelos deinde, Buxedam mox, Corcolem deinceps & Saluaterram migrauit, Couos ad extremum, Nunnio Fernando duodecimo eius militiæ magiſtro. Maqueda, Azecha, Cogolludum, Zurita, Calatrauenſibus ab Hiſpaniarum Rege Fernando Anno 1177. dono data ſunt.

Villa Real 4. *Ventas nueuas* 8. *Ventala* 4. *Feſira* 5. *Inde numerantur Cordubam vt in præcedenti itinere mill.* 7.

Simul 28.

Sita eſt CORDVBA in ipſo fermè Beticæ prouinciæ meditullio, atque in his eius populis, qui Turduli ab Ptolomæo, Plinio & Strabone nominantur. Ab ortu ea regio ad Baſtulos ſeu Baſteranos vſque protenditur: ab occaſu Turdetanos contingens, Hiſpalenſi tractu terminatur. Habet ad Meridiem latè patentes campos, qui ad Mediterraneum mare, & Herculeum fretum expanduntur. Qua verò parte Septentrionem Corduba ſpectat, poſita eſt ad ipſas Marianorum montium radices, quos nunc Hiſpani priſco nomine corrupto

rupto *Sierra Morena*, hoc eſt, Morenos montes dicimus. Ea verò horum montium pars, quæ Cordubæ imminet, aut ſaltus Caſtulonenſis eſt portio, aut cum eo ad ortum coniungitur. In his montibus, auctore Plinio, Beturia regio, à Bæti flumine nomen accipiens, in duas regiones diuiſa ad Anam vſque excurrit. Ipſe Bætis qui Cordubam alluit, *Cirtius* olim & *Tarteſſius* etiam, vt apud Plinium, Liuium & Strabonem eſt, dictus, tanta celebritate ſemper fuit, vt toti prouinciæ nomen dederit: tanta porro eſt magnitudine, vt ingentia flumina exorbens, à Mauris nomen acceperit, *Guadalquibir*, namque quod huic fluuio nunc nomen eſt, ab iiſdem impoſitum, magnum flumen ipſorum lingua ſignificat. Ab Ortu verò ad Occaſum latus Cordubæ auſtrale lambens, ita montes ab planicie diſterminat, vt id ſibi ſtudio habuiſſe natura videatur, quo diuerſiſſima ſoli diſcrimina ſeiungeret, & eo tanquam limite ſepararet. Hinc montana, quæ ipſa ſuburbia penè contingunt, celſis collibus edita, duris collibus prærupta, hortis, vineis, oleis, & omnium generum arboribus ſunt conſita. Inde campeſtris regio trans flumen complanata, nata, glareis, & luto friabilis frugibus tãtummodo ferendis eſt accommoda. Huius verò tractus quæ ſit feracitas, inclyta ciuitatis horrea, tota Hiſpania celeberrima ſatis oſtendunt. Alterius verò ſoli, montibus prætenti, quanta ſit amœnitas cum inſigni fertilitate coniuncta, vix quiſquam dignè poſſet explicare. Ipſæ præciſæ rupes, Scopuli ipſi, vbi planum quidpiam non ſoli (neque enim Solum eſt illud, ſed lapidum ſtrues) verùm quid-

quid

quid id eſt plani, Loton ſuauiſſimam & Siliquam ſponte naſcentes; ſatiuas verò Oleam, Vitem, Ficum, Ceraſum, Mala Punica, & Perſica, Pruna, & quod magis mirandum ſit, Citrea mala omnis generis abundè producunt. Præſtant hoc ipſum magna ex parte fontes, copioſæ, puriſſimæ, ſuauis, & ad potum ſalubris aquæ, quibus paſſim penè erumpentibus, irrigua omnia circumcirca fiunt. Hinc valles vrbi propiores, non niſi ab pulchritudine, ab paradiſiacis, ab regijs hortis, ab roſarum multitudine, aut ab florum ſuſpectu, nomen inuenere. Hinc vini & Olei Cordubæ tanta eſt copia atque adeo exuberantia, fructuum omnis generis tanta vbertas, vt hoc vnum aliam quantumuis celebrem ciuitatem magnopere poſſet nobilitare: mala autē citrea omnis generis, tantopere in ea vrbe exuperant, vt aduenis & peregrinis hominibus frequenter ſint ſtupori, non cumuli ſolum, qui per plateas venales, vili pretio cernuntur, ſed etiam, qui nouorum fructuum aduentu per agros & ſterquilinia proijciuntur: decuſſis non modico impendio ex arboribus malis, ne ſuper fœtantes flores impediant: florum autem ipſorum in his arboribus tanta vndequaque intra vrbem & per vicina ſuburbana eſt copia, tanta verno tempore fragrantia, vt maior eſſe non poſſit; & qui non modo ſenibus medicantur anhelis, ſed ſuauiſſimo etiam odore vrbem totam vicinoſque agros ita perfundunt, vt ad eam ſuaueolentiam captandam, noctu homines peruigiles diſcurrant. Ipſe Mioca Dux Arabum, Hiſpaniæ totius victor, quique eam omnem perluſtrauerat, quum Cordubam egreſſus in Afri-

Africam nauigaturus ſummis Hiſpaniæ proceribus deducentibus, iter occiperet, & in collem vnde vrbis totius proſpectus patebat veniſſet: mula, cui inſidebat, retro conuerſa, aliquantulum conſiſtens vrbem tacitus contemplabatur: & tandem in hæc verba cum gemitu prorupit. *Eheu Corduba quantum es inſignis? quæ & quantæ tuæ ſunt deliciæ? quantum tibi bonorum Deus voluit conferre.* Hæc loquutus, mœrens iter continuat. Metalla Cordubenſia ſunt etiam apud authores celebratiſſima, *Auriferamq;* Poetæ Cordubam vocant. Æs Marianum, hoc eſt, quod prope eam vrbem in eius montibus effoditur, maximè Plinius laudat. Argẽti viui & Stibij ditiſſimæ fodinæ hodie in eius tractu conſpiciuntur.

Guadelcacer 4. ⊙. *Ecya* 4.
Simul 8.

ASTIR ſiue ASTIGIS, vulgo ECYA, mediterraneum Hiſpaniæ Bæticæ oppidum, ab Aſtir auriga Memnonis, qui interfecto apud Troiam hero, in Hiſpaniam nauigauit, aſſerentẽ Tarapha, conſtructum & denominatum fuit. Eius potiſſimũ diuitiæ & negociatio, in lanæ mercatura conſiſtit, eo, quod Solum vndequaque fœcundum atque compaſcuum ouibus abundè pabulum ſubminiſtret. Hinc infiniti ouium greges, colles ac valles quibus ager vicinus abundat, quouis tempore oberrare videntur, vnde huius oppidi incolæ, partim ex domeſticis ouibus, partim ex lana, quam huc ruſtici ſtatutis comportant temporibus, quæſtum faciunt ingentem. Huc opportunè deferuit riui-

lus, vulgo Chenil dictus, cuius aqua, lanæ abluēdæ ac purgandæ & pecorum morbis curandis, multo magis, quàm vlla alia idonea eſt. Vnde Balneum pecori ſalutiferum accolis dicitur, qui hic ponte eximio ex lapide viuo fornicato coniungitur, per quem facilis ad oppidum eſt acceſſus. Iuxta eſt ſupplicij locus, *El Roillo* appellatus, vbi columna continuo ex ſaxo, ſtupendæ magnitudinis videtur, ex qua ſontes atque malefici delictorum ac ſcelerum cauſa ſemiſaltum facere coguntur.

Oſuna 5.

OSSVNA, quæ Plinio eſt *Vrſo*, & *Genua Vbianorum*, Apiano Alexandrino *Orſana*, Cæſari verò, & Straboni, & eoſdem ſequuto Matio Aretio Syracuſano cæteriſque Neotericis, *Vrſao*, oppidum eſt vlterioris Hiſpaniæ in Turdulis Bæticæ populis, in planicie ſitum, à Corduba non longè, à Munda Oſſunam vnius diei eſt iter. Hæc nullam aquam habet conterminam, nec arborem præter Oleam, quam proculdubio Pœnorum gens, Romanis Hiſpaniſque ad terræ cultum procliuior, poſt generalem Gothorum & prouinciæ cladem ibidem inſeruit. Fiunt in hac regione vaſa & dolia fictilia multa, eo quod Gleba terræ ad ſimilia fingenda ſit aptiſſima. Eſt aūt Oſſuna hoc æuo Ducatus caput, & ſedes primaria illuſtriſſimæ Gironū familiæ, quæ relicto titulo Comitum Vreniæ, Ducū Oſunæ, Anno 1562. Rege Hiſpaniarum Philippo annuente ſibi vendicauit. In Oſſuna Ioannes Tellez Giron eius nominis & familiæ ſecundus extruxit ſumptuoſiſſimum ex candenti marmore Diuæ Mariæ Virgini matri templum, inſtituitque in eo præter Abbatem,

æ,Dignitates, Canonicos, & Portionarios qui Collegiũ conſtituũt, Sacellanorũ etiã numerũ, qui progenitoribus ſuis, in Crypta ſubterranea (quàm eorum funeribus ſeruandis extruxit) ſub ſummo Altari quotidie parentarent. Id templum idem Princeps tanta ſupellectili, tam aurea, quàm argentea, tantiſque veſtibus aureis holoſericiſque exornauit, vt vix habeat (multorum iudicio) in Bætica ſecundum. Extruxit prætereà à fundamentis monaſteria D. Dominico, Franciſco Aſſiſienſi, Auguſtino, Franciſco à Paula (qui Minimi dicuntur) cui erat deuotiſſimus, Virgini matri de monte Carmelo. Recollectis etiam in monte Caluario Obſeruantibus, ſingulos erexit conuentus. Maria ſimiliter eius coniux virginum fecit cœnobium D. Claræ ſacrum, atque adhuc alia hi coniuges per ſuam ditionem ædificauere monaſteria. Præterea Xenodochiũ pauperum omnium Aſylum, in quo & expoſititij infantes, eorum ſumptibus aluntur. Nouiſſimè etiam Anno 1549. extruxerunt hi Principes coniuges Academiam, in qua omnes ferè ſcientiæ docentur, nihilque prætermiſere vt Oſſunam oppidum exornarent. In eo ciuium (præter eos qui literis operam dant) tria millia recenſentur. Hi ex annuo quæſtu Oliuarum frumentorumque ditiſſimi fiunt, eſt enim ager frugum ferax, pecudum, Oliuarum abundantiſſimus, aëris autem ſalubritate fœliciſſimus.

Pruna	4.	*La Torre del Albaquima*	2.
o. Zahara		2.	
			Simul 8.

ZAHARA oppidum & caſtrum in alta & prærupta Petra, tanquam Specula, & vigiliarum ſtatio, priſcis temporibus ædificatum; Granatenſi bello celebre fuit.

ITER TOLETO BORNOS, ASINDVM, & Algezyram.

Oſunam numerantur in itinere præcedenti mill. 58.
La puebla de Cacalla 3. *Moron* 2. o. *Bornos* 6.
Simul 69.

BORNOS Hiſpaniæ Bæticæ oppidum, ſitu eſt valdè eleganti: locum enim occupat planum compaſcuum, Olei & frugum feracem, vnde nobilibus & viris Patricijs hortos cultura præſtantes, & venationis recreationem præbet. Vlterius porrò, aſperrima & inhabitata ſterilium montium iuga ſe offerunt, quorum ſaxoſa, horrida, & inculta conditio, Bornenſium agros fœlicitatemque magis commendat. Cùm contraria iuxta ſe poſita magis eluceſcant.

Medina Sidonia.

ASINDVM, vulgo METHIMNA SIDONIA cognominata, rebus omnibus ad hominum vitam neceſſarijs, abundat. Ducatus ampliſſimi caput eſt.

Algeriza.

ALGERIZA vrbs eſt nobiliſſima, ager eius fertilis eſt, amœni colles eum circumambiunt. Hic multa frumentariæ Molæ. Villis ædificijſque regio vniuerſa, qua viſus eſt, collucet.

ITER

ITER TOLETO MARTIAM, vulgo *Marchena*, Palenciam, vulgo *Palacios*, Cabeças, Nebriſſam, vulgo *Lebrixa*, Xereſium, vulgo *Xerez de la Frontera*, Cades, vulgo *Cadiz*, & Conilium.

Oſunam vſque numerantur mill.	*58.*
o. *Marchena* *6.*	Simul *64.*

MARTIA in vlteriore Hiſpania Turdulorum Bæticæ populorum, nobiliſſimum olim Rom. municipium & colonia, ab Hiſpanis *Marchena* appellatur. Eſt in ea Ducum Arcobrigæ ſedes gentilitia, qui è Pontiorum à legione nobiliſſimo ſtemmate orti, Marchionatum Gaditanum cum Hiſpaniæ rege commutauerunt, atque hoc ſuum municipium longo temporum interuallo ita exornarunt, vt cum vicinis oppidis de ciuium frequentia, ædificiorum pulchritudine meſſiumque abundantia audeat dicertare. Situs eius eſt in colliculo, vbique planitiem reſpiciente. Summum eius templum eſt ad oppidi Septentrionem, egregia Turre exornatum: cui coniunctum eſt Ducum inſigne Palatium, ad portam, qua itur Aſtygim, eſt id propugnaculis ac Turribus per gyrum munitiſſimum, varia etiam ſupellectile à Ducibus, qui frequentius hic degunt, exornatum. Non longè à Palatio Virginum eſt conuentus, cui Ducum viduæ quandoque ſe includunt. Suburbium ipſo oppido maius eſt ad occaſum Solis, vbi itur Hiſpalim; in eo videtur fons è regione Xenodochij tantam aquam emittens, vt ciuibus & eorum animalibus abundè ſufficiat ad reſtinguendam ſitim. In hac Bæ-

Digitized by Google

ticæ prouinciæ parte agri quamuis fertiliſſimi, omnino fontibus, riuulis, aquæductibuſque carent, laborantque agricolæ ſæpe aquarum penuria, quæ facit meſſem rariorem: eam ob aquarum penuriam oppida & pagi videntur, vbi ſcaturiunt fontes. Ager Marchinæ eſt fertiliſſimus oliuarum, Ab Aſtigi enim Marriam vſque, nihil videtur incultum, nihil ſterile, ſed denſiſſima vbique Olìueta, & fruges, eorumque meſſis pro vniuerſa penè Hiſpania ſufficeret, ſi tempeſtiuis pluuijs rigaretur.

Pataḍas 2. *Elrabal* 1. o. *Palacios* 7. Simul 10.

PALENCIA, vulgo *Palatios*, Hiſpaniæ Bæticæ oppidum, quinque milliaribus ab Hiſpali ſitum, via quæ ad Gaditanum & Herculeum fretum eſt, arcem perantiquam à latere adiunctam habet. Ex agricultura & frequenti hominum tranſitu victitat, qui hac Labriſſam contendunt, viam depreſſiorem tenentes, qua paludes & æſtuaria fluminis (*Mareſma* vocant Hiſpani) ad quinque milliaria ſe latè extendunt, & hyemali tempore ex Bæti flumine vliginoſa ſunt & inuia, ita vt hac commodus non pateat tranſitus, ſed altior ſit tenenda via, Alcantaram & Cabecas verſus: vniuerſa autem æſtate, tantis hic ſunt itinera obſita & contecta pulueribus, vt tranſitum ferè denegent, & quemadmodum nauigantibus in mari opus ſit Compaſſu, ne quis in maximo Solis ardore, in via oberrans ſiti conficiatur, neque enim mirum eſt hoc tranſitu inuenire viatores mortuos æſtu ſolis,

is,& ſiti. Itaque quibus hac proficiſcendum, de ino ſibi prouidere, & equorum ephippijs lageniam coreaceam appendere ſolent, *Borateia* patria ingua vocant. Nulla enim in tanto quinque milliarium itinere inueniuntur hoſpitia, cum is locus ob aquarum abundantiam hyeme, ob intolerabilem calorem æſtate ſit inhabitabilis, ac proinde incultus ac horridus. Imo, ne Arbor quidem aliqua apparet, ſub cuius vmbra refocillari quis poſſet. Alcantara Hiſpanis *Alcantarilla*, pons eſt in Palentij quidem paludibus, ſed ad latus ſiniſtrum, meridiem verſus à flumine Bæti aliquantulum diſſitus, & paulo editiore loco, ſtructuræ magnificentia opus eſſe Romanum oſtendit: vtroque in latere maioris Turris, Periſtylia, Baſes, & capita columnarum apparent, quæ hic ex viridi lapide poſitæ erant, nunc in maiorem Hiſpalenſem Eccleſiam, ad altaris ornatum translatæ. Altera ex parte pontis Meſquita eſt, vetus Maurorum delubrum, nunc pietati Chriſtianæ dicatum & ſemper clauſum. Altera ex parte Venta, hoc eſt, hoſpitium, qualia multa per totam Hiſpaniam conſpiciuntur. In Caſtilia duorum aut trium dierum iter conficitur, vt nec pagum nec oppidum, ſed eiuſcemodi Ventas inuenias, ad quæ quietis & refocillationis cauſa diuertas. Horum verò locorum, quemadmodum & oppidorum & pagorum hoſpites, qui Meſſones vocantur, omnes pariter eiuſdem fœderis ſocietate ſunt iuncti, quam Hermandad nuncupant, vt ſi cōtingat latrones vel Prædones aliqua infeſtare itinera, ſtatim in equis armati concurrant, inuigilent, & ſe mutua corre-

ſpondentia ad inquirendum nocentes excitent. Quæ quidem optimæ politiæ ratio accuratè obſeruatur, vt per totam Hiſpaniam omnia paſſim itinera quouis tempore, ab omni periculo tuta reddantur.

Alcantarillo 2. *Las Cabecas* 1.
Simul 3.

CABECAS oppidulum Hiſpaniæ Bæticæ, per Alcantaræ pontem Palacios ſiue Palentiam proximè ſequitur, in montium aditu ſitum, qui in Meridiem Malagam verſus ſe extendunt. Vrbem quondam magnam fuiſſe rudera & mœniorum veſtigia docent, nunc ex agraria & ijs, quæ terræ beneficium producit, vitæ ſibi neceſſaria parat: tum etiam ex frequenti mercatorum & peregrinantium tranſitu, qui hanc viam, ex Hiſpali ad Gades & S. Lucar frequentant. Et quia Cabecas idem quod capita ſonat, hinc oppidani hoc vulgare ſibi laudi ducunt: *Non ſe Haze Nada nel Conſejo del Rey ſenza Cabecas*, quod metonymicos venuſtè ſibi adſcribunt, & interpretantur, ac ſi dicerent, *Regis Concilium ſine Capitibus*, id eſt, prudenti iudicio, quod capita complectuntur, *nunquam coire*.

Le Brixa 3.

NEBRISSA oppidum eſt peramœnum & pulchrum, cum Arce vetuſta, agro vndique beatiſſimo cinctum: Nam etſi vniuerſa Bætica prouincia frugibus, & cunctis rebus neceſſarijs admodum fœlix ſit, hoc tamen præcipuè tractu, non ſolum lætiſſimas fruges, vina, mella, delicatos arborum fructus, oliuas, ſed & immenſam rerum omnium
co-

opiam producit. Quocumque enim oppidum Nebriſſenſe egreſſus, te vertas, patentes te excipiunt campi, prataque viriditate & floribus læta, vineta & maximè frequentia Olivueta. Quare Nebriſſenſis ager ab olei non ſolum vbertate, ſed & bonitate præcipua commendatur, quod hinc in Indiam exportatur. In quem vſum varij generis fictilia, & vaſa lutea hic conficiuntur magnæ capacitatis, quę ipſi Tenagias, & minora, quæ Botigias vulgo nuncupant, quibus Oleum ad remotiſſimas mundi partes tranſmittunt.

Xerez de la Frontera 3.

XEREZ de la Frontera vrbs inclyta in Andaluſia Hiſpaniæ regione ſita, duobus milliaribus à celebri nauium ſtatione, amploque B. Marię portu diſtat. Quia hæc vrbs omnium prima muris, foueis, & turribus ſepta, in hac Hiſpaniæ regione ſe offert, *De la Frontera*, quaſi Hiſpaniæ in hac ora initium, ſiue etiam terminus dicitur, magnitudine loci ampliſſimoque murorum ambitu conſpicua, illuſtribus natalium ſplendore nobilibuſque viris domicilia præbet, qui celebri frequentique numero eam incolunt, agrumque vicinum, ex quo peringentes commoditates percipiunt, latiſſimo ſpatio occupant. Is ager, vineis & aruis diſtinctus, omnium frugum, vini, olei & frumenti ferax adeo, vt quaſi perpetuo vere, perenni viriditate, vuis decenter ornatus, variaque ſegete campi, quouis etiam tempore, ſupra hominum fidem luxuriet: laxiſſima demum prata, graminumque & florum viriditate contecta atque veſtita, ſpectantes

reficiant. Ita quidem vt nulla ſoli portio ocioſa, nullus planè locus, tantum publicis exceptis inueniatur, quem non aut vitium vbertas ac varietas, aut ramoſæ arbores præſtantiſſimis fructibus graues, exornent. Eiuſmodi ſanè vicini agri conditio eſt, tantaque in eo elegantia, nitor, atque vbertas conſpicitur vt vix eam referenti fides adhibenda putetur. Quare mirandum minimè eſt cùm olim, tum noſtra hac ætate, ſummos, nobileſque homines in ea potiſſimum vrbe domicilium ſibi delegiſſe. Inde præclara vina, quę ab Indicis vſque gentibus expetuntur, in inferiorem Germaniam, Galliam, Angliam, Scotiam, Oſtlandiam, & alias regiones quotannis exportantur. Inde anno à Chriſto nato M. D. LXV. cùm graui annonæ caritate Germania laboraret, incredibili frumenti copia, egeſtate & inedia preſſis ſubuentum eſt. Immenſæ hic altitudinis puteos ſub terra, ad rem frumentariam multos in annos conſeruandam, nobiles paſſim habent, infra quidem latos, anguſtiores autem ſupernè, lapidumque mole contectos, quos ſine peculiari Magiſtratus conſenſu aperire non licet. Tantam vini copiam huius vrbis territorium annuo prouentu, cultoribus profert, vt 60000. vaſa, quorum ſingula tres Amas, ſua capacitate abſorbent, vix ad hoc vnum conſeruandum ſufficiant, compertumque eſt quandoque, quod is numerus 80000. excederet. Præſtantiſſimos inſuper totius Hiſpaniæ equos, & maximè pernices hæc regio profert, eos *Genettas* vulgo nuncupant, quos nobiles mira induſtria informant, eorumque curſu in hippodromis oblectantur, dum equeſtrea inſtitu-

unt pugnas, in quibus Arundinibus & Cannis, haſtarum loco ſe exercent, eum admodum, quo Mauri haſtas torquere & iacere ſolent in hoſtes. Eos ludos *Iuegos de Cannas* patria lingua nuncupant.

Cadiz 2. *Puerto S. Maria* 2.
Simul 4.

GADES, hodie *Calis*, in capite Hiſpaniæ Bæticæ inſula eſt, protenſa, ſecundum veteres, inſtar Faſciæ ſic dicta, quaſi terræ ceruix, propter continentis anguſtiam, vtrimque breue illud fretum conſtringentis. Continenti, quemadmodum nunc Peloponeſus, olim adhæſiſſe, & Iſthmus fuiſſe putatur. Eſt in eadem inſula, eiuſdem quoque nominis vrbs celebris, cuius frequens eſt apud hiſtoricos mentio. Ante Herculis aduentum dicebatur Tarteſſus: poſtea verò quàm Hercules ad eum peruenit, ſtatuitque in ea columnas ad æmulationem alterius Herculis AEgyptij, qui alias Columnas ſtatuerat ad alteram Libyæ oram, ab ipſis columnis erectis, Gades *Herculis inſula*, & illius vrbs appellata eſt. Eſt autem inſula illa non multò maior centum ſtadijs in longitudinem, in latitudinem verò alicubi ad ſtadij vnius ſpatium patet. Fretum autē Herculis, quod vulgo *Eſtrecho di Gribaltar*, nuncupat, latum eſt quaſi quatuor milliaria, Europam & Africam diuidit; habens in Europa Calpe, in Africa Abyla, præcelſos & celebres famâ montes: inter quos mare coarctatur. Duo hi mōtes, nunc Columnæ Herculis dicuntur. In inſula muri partes ſuperſunt qui Gadiū vrbē, à tota inſula ſecludūt, & veluti val-

Digitized by Google

vallum ac propugnaculum defendit. Hic autem murus, ex magni Theatri hoc loci olim conſtituti, ruinis ędificatus eſt. In quo quidem Theatro candida Cupidinis marmorea ſtatua mirè artificioſa, inuenta, & ante Prætoriam domum vrbis Gaditanæ conſtituta eſt. Truncus ſimiliter Herculis, etiam ex candido marmore, magnitudine gigantea, in angulo Eccleſiæ *De La Miſericordia* collocata. Ruinæ antiquarum Gadium apparent adhuc, vrbis quondā magnificæ cuius fundamenta maxima, ciſternæ, cellæ cōcameratæ, & ſaxa ingentia teguntur marinis fluctibus, ita quod piſcatorum retia hic inuoluantur & rumpantur ſæpius. Certè magnam quondam vrbem fuiſſe, & ex ruderibus ipſis, & ex vrinatorum relatione, qui de æreis portis, & murorum reliquijs, quas ſub aquis frequenter veſtigarunt mira referunt, apparetque idem ex Strabonis relatione; qui refert eam vrbem ita creuiſſe, quod poſt Romanam cæteras mundi vrbes anteibat. Et cùm illi nullus aer eſſet, omnes illius vrbis incolæ ad nauigationem ſe contulerunt, in aſportandis Romam rebus mercatorijs, maximè ijs quæ ex Hiſpania exportantur. Adijcit etiam Strabo ad illius amplificationem, quod, cùm cenſus exigeretur ab ea, reperti ſunt in ea militaris ordinis equites aurati viri quingenti, quod nuſquam in aliqua ciuitatum Italiæ compertum, quam in Patauio vrbe.

o. *Conil* 6.

CONIL præclarum Hiſpaniæ oppidulum, 6. miliaribus à Gaditano oppido, qua meridiem reſpicit diſtans, illuſtriſſimo Slucæ Duci, qui & Me-

Medinæ Sidoniæ Dux eſt,paret. Oppidi diuitiæ in captura piſcium,potiſſimum Thynnorū,conſiſtūt. Eſt hęc piſcatio Duci maximo emolumēto, nā ferè centum coronatorum millia annuatim hinc eum colligere aſſerunt.Locus piſcationi bonitate naturæ deſtinatus, quemadmodum etiam in vicino oppido *Cadiz, Almodraua* vulgo dicitur, in quo quæſtuoſam hanc piſcationem, à Calendis Maij ad decimum quintum Iunij diem exercent. Arx ibidem domicilium Duci præbens, iuxta quam domus eſt ampliſſima,*La Chauca del Duque* cognominata, in qua piſces minutim diſſecti, & Sale in vaſculis conditi, onerarijs nauibus incredibili copia, in Italiam deferuntur, atque in Mediterraneum mare, ac paſſim in Gallia totius anni tempore eſui ſunt.

ITER TOLETO GVADALVPVM & TAVIlam.

Venta Lunel 2. *Borouion* 2. *La motta* 2. *Cebolla* 2.
V. Albergue 3. *Talauera* 3. *V. la cerua* 3.
Puente del Arcobiſpo 3. *V. de los Ingallos El Spital* 4.
Venta de la Hermandad 2. *Guadalupo* 2.
Simul 28.

GVADALVPVM eſt Hieronymitanorum cœnobium,templumque ditiſſimum, Virgini matri dicatum, quod ab vniuerſa Hiſpania frequentatur, regum & priuatorum hominum donis opulentum, in eius ſarta tecta & hoſpitalitatis ſumptum,per Hiſpaniam qua latè patet, ſtips cogitur.

Cam-

Digitized by Google

Campanaria 7. *Margazela* 2. *Ellarena* 5.
Vlayre 2. *Fuente* 3. *Nondar* 8. *Martigaon* 2.
Corte de pinto 4. *Altentina* 4. o. *Tauila* 8.
Simul 45.

TAVILAM maximam Algarbij ciuitatem, olim Balſam vocatam fuiſſe putant aliqui.

ITER TOLETO MYRTILIM, SILVIS, Oſſibonam, Albor & Lagos.

Guadalupum numerantur mill. 28.
Corte pinto diſtat Guadalupo mill. 33.
Mertola 3. Simul 64.

MYRTILIS, vulgo *Mertola*, Anæ fluuio eſt appoſita, multis antiquitatum monumentis plena, Cippis, Columnis, Statuis, quibus tam Gothi, quàm Mauri ad reficiendos muros pro cementis abutebantur, vt erant & hi & illi, ingenio planè barbaro.

Alta 6. o. *Siluis* 3.
Simul 9.

SILVIS ciuitas pontificio exornata eſt: ſita ſuper æſtuarium, quod à mari egreſſum, paruo fluuio commiſcetur.

Eſtoy 1.

OSSIBONA in vicum redacta, in Exubanam tranſijt, & cùm iam propè non ſit, *Eſtoy* nuncupatur. De Exubana ſiue Oſſibona ſcribit Razis Maurus: *Exubana ſolo fertili ac frumentario ſita eſt, plano & fructiferis arboribus conſito, habet etiam Pineta, & montes ad alenda pecora maximè accommodatos: Hortos quoque irriguos multos, quoniam fontibus ac fluentis abundat. Electrum producit optimum. Mari vicina eſt, vbi aliquot ſunt inſulæ paruæ cymbis ac na-*
uis

ſiculis ad vſum & inuectiones opportuna. Ciuitas inter eadem magnitudine pares, de melioribus totius eſt Orbis. Sub iure ac dominio ſuo habet oppida nonnulla, è quibus Siluis eſt.

Alagas 2. *Aluor* 3. Simul 5.

ALBOR oppidum eſt non obſcurum, in Sinu magnarum nauium capaci, ſed ingreſſus per oſtia, non niſi æſtu accedente fit, ſed difficulter, propter flexus varios, & in modum Syrtis obſtruentes oſtium arenas. Verum vbi penetrarint, pandente ſe æſtuario commodiſſima ſtatio eſt nauigiorum. Parua inſula intus eſt, ſitu æditior, in ſummo plana, in quo olim oppidum. Superſunt vndique muri, à fundamentis vſque ad mediam altitudinem cæmentitij, in ſuperioribus formacei Punico opere. Summa planicies ruderibus, parietinis, fractis teſtis, teguliſque tota plena, ædificiorum monſtrat ruinas.

Lagos.

LAGOS mutilato ac nonnihil deflexo *Lacobrigano* nomine vulgo appellatum oppidum, noſtro æuo nobiliſſimum frequenſque eſt. Ab Sebaſtiano Rege Portugalliæ in ciuitatis titulum & honorem euectum, ſicut & Pharo ornatum ab Ioanne tertio Sebaſtiani auo.

ITER TOLETO PACEMIVLIAM, vulgo Badajos, & Orichium.

Guadalupum in itinere præcedenti numerantur mill. 28.

Villa nueua	10.	*Caſta*	3.	*Fruente de indoſtre*	6.		
Xerez de Badajoz	6.	*Agrania*	6.	*Monacras*	3.		
Marmelar	3.	*O.Beiu*	6.			Simul	71.

PAX

PAX IVLIA (vulgo nunc *Beia* dicitur) ciuitas eſt Portugalliæ, apud hanc ciuitatem Balneum eſt, cuius aqua, de gelido ac fermè ſemper niuoſo monte, per ſubterraneos meatus ad planitiem deſcendit, vbi vicus eſt longus, qui ab ipſis Balneis nomen accepit. Hic vim duplicem natura demonſtrat. Sunt enim Balnea duo diuerſarum aquarum, quæ non multum inter ſe diſtant, quorum alterum calidioris, alterum frigidioris eſt aquæ: quarum altera bibentes, altera verò lauantes homines mirificè iuuat. Hinc præterea non longè abeſt lacus, non vtilis minus, quàm admirabilis, qui & Turtures, piſces ſubnigros & excellentes gignit, & futuram pluuiam turbinemque, magno aëris ſonitu pronunciat, adeo vt eius murmur quaſi Tauri mugitus, ſępenumero ad duodeviginti millia paſſuum fuerit auditum.

Ourique 8.

ORICHIVM nobiliſſimum eſt oppidum Orichienſis regionis, cuius ager quia campeſtris & frumentarius ac paſcuus eſt, vulgo Orichienſis nominatur. Orichienſis ager, Turditanis ac Celticis iunctus, regionem paruam efficit, octo, vel ad ſummum decem oppidorum, præter vicos ignobiles.

ITER TOLETO SINIS.

Guadalupum in itinere præcedenti numerantur mill. 28.

Villarta	9.	*Torre de Mexia*	6.	*Albufera*	6.
Oliuenca	4.	*Ferrera*	2.	*Mont de trigo*	6.

Graia

Graia menno 8. o.*S.Iago* 6. o.*Sinis* 2.
Simul 77.

SINIS maritimum eſt oppidum, & propter piſcationem non parum vicinæ regioni conducibile.

ITER TOLETO EMERITAM AVGVSTAM, Pacemauguſtam, & Eboram.

Villartam in itinere præcedenti numerantur mill. 33.
o.*Merida* 6. Simul 39.

EMERITA AVGVSTA, vulgo *Merida*, ad dexteram Tagi ripam vetuſtiſſima eſt, ac nobiliſſima quondam in margine Anæ, fuit Romanorum colonia, & præter alios honores, & res in ea memorabiles Arcu lapideo & Ponte longiſſimo celebris, & antiquis ædificijs memorabilis eſt.

Talauera 3. *Badajoz* 3.
Simul 6.

PAX AVGVSTA vrbs hodie corrupta voce *Badajos* vulgo nuncupatur. Ad fines Portugalliæ ſede ſua & vetuſtate nobilis eſt.

o.*Ebora* 10.

Aliud ITER TOLETO HELVAS, indeque Eboram.

Guadalupum numerantur in itinere præcedenti mill. 28.

Trugillo 8. *Venta de las Herrerias* 4. o.*Eluas* 11.
Simul 51.

ELVE, vulgo *Eluas*, ciuitas nominata, quod nomen à conditoribus obtinuit, etiamnum hodie retinet: fertilitate Soli & nobilitate ciuium, vt po-

ſtremas non fert,ita Olei bonitate ſine controuerſia primas obtinet. Dioecefis Eborenſis hactenus fuerat, verùm agente Sebaſtiano Rege, Epiſcopalem dignitatem adepta, metropolim vnde exciſa eſt nihilominus agnoſcit. Non multa ibi ſunt Romanorum monumenta, & quæ ſunt peſſimè à barbaris habita.

Os artos 4. *Euora monte* 2. o. *Ebora* 2.
Simul 8.

EBORA ab Eburonibus Galliæ gente conditam ac denominatam fuiſſe volunt aliqui: Gallorum enim mos eſt vicatim habitare. ij enim præter hoc municipium, minora etiam quædam oppidula, ſuæ gentis nomine inſignita reliquerunt. Moenia antiqua, quæ etiam nunc extant (& verum ambitum, ſeu circuitum, vt vulgo dicitur) Quintus Sertorius condidit, peracto (vt ex eius inſcriptione conſtat) bello Celtiberico, in quo Eborenſium militum prompta ac ſtrenua opera vſus fuerat. Conſtabant autem muri ex quadratis lapidibus, validis propugnaculis ac turribus ſuis locis diſtincti, adeo firma ſolidaque ſtructura, vt poſt tot ſæcula tantamque & tam variam rerum viciſſitudinem, adhuc hodie integra illorum cernantur veſtigia. Addidit aliud non minus neceſſarium beneficium gratiſſimus ac liberaliſſimus Imperator, inuecta in vrbem magna aquarum copia ab 12. ferè millibus paſſuum, quam ex diuerſis fontibus in vnum ductum collectam, ex manubijs magnificentiſſimo opere perducendum curauit. Si quis fertiles Eboræ campos, & circumquaque, in modum

dum Amphitheatri, obiectos altiſſimos montes, non ſemel, nec obiter contemplatus fuerit, ille ſanè ſi Romam & Romanum agrum vnquam aſpexit, ſimilitudinem incredibilem inter vtrumque tractum comprehendet, hoc vno dempto, quod Ebora fluuio caret & mediterranea omnino eſt. Oſſam montem aſpicit amœniſſimum, multiſque fontibus & riuulis vndiq; ſcaturiētem, atq; in eadē ferè diſtantia, inter cuius cacumina & ciuilitatis muros, latiſſimi campi patent. Sunt quoque Saltus circa Eboram, quos Portellenſes, Viennenſes, & Alciace Venſes, à circumuicinis oppidis vulgo appellantur. Cingitur deinde Ebora iugo montis, quem Morum vocant, præterea Calanticenſi ſaltu, quem Arraiolenſem vulgus nominat, & deinde montium corona, qui Oſſam ex Septentrionali latere attingunt, & ita circulum efficiunt. Hic nobile templum Sancti Antonij Archimandritæ, quod in publico ciuitatis foro, conſpicuo & illuſtri loco erigi, eleganti magnificaque operis ſtructura factum eſt. Habet hæc ciuitas quatuor fratrum inſignia monaſteria, monialium verò ſeptem non minoris magnificentiæ, in quibus ferè omnibus fontes ex marmore candidiſſimo adfabrè facti, ſubterraneæ aquæ argenteæ canalibus ſcaturiunt. Portas habet 10. nulla ſuburbia, præter vnum figulorum, & hortos muris vicinos circiter centum, ex quibus Hortulani ædes ſatis commodas habent. Viſuntur vndique vſque ad 6. millia paſſ. innumeræ villæ ſuburbanæ, nec minore ſumptu, nec minore elegantia ædificatæ. Ambitus

mœnium 3.mill.paſſ.& 452.continet. Noua mœnia condidit Rex Ferdinãdus, primus huius nominis, & numero Suſcitanorum Regum nonus, qui regnare cœpit Anno 1368.

ITER TOLETO HISPALIM, quæ vulgo *Seuilla* dicitur.

Ecyam vſque numerantur mill.					*53.*
La Moncloua	3.	*Venta del Palmar*	2.	*Carmona*	1.
La Venta de la ſtaderas	$3\frac{1}{2}$.	o. *Seuilla*			$1\frac{1}{2}$.
				Simul	64.

Aliud ITER TOLETO HISPALIM.

Cordubam numerantur mill.					45.
Palma	8.	*La Campana*			2.
Guadaxos	3.	*Bogedon*	4.	o. *Seuilla*	2.
				Simul	64.

Adhuc aliud ITER TOLETO HISPALIM.

Cordubam vſaue numerantur mill.							45.
Venta di Romanas	2.	*V. di S. Anders*					2.
Las poſadas	2.	*Pennaflor*	2.	*Lora*	3.	*Alcolea*	1.
Toſma	1.	*Bogedon*	3.	o. *Seuilla*			2.
						Simul	63.

HISPALIS, vulgo *Seuilla*, eius Hiſpaniæ prouinciæ Metropolis, quæ cunctas diuite cultu, & quodam fertili, ac peculiari nitore præcedit. Bæticam veteres à Bæti fluuio, recentiores VVandaluſiam à VVandalis eam poſteriore ſæculo occupantibus, vocarunt. Quæ quidem Hiſpalenſis vrbs, omnium totius Hiſpaniæ vrbium ornatiſſima, cultu & elegantia ciuium, & quodam priuato, & quaſi natiuo ſplendore, nulli totius Orbis ſecun-

cunda. Diuitiæ etiam & opes, quantæ nulli vnquam regno aut imperio quantumuis excellenti, niſi vni forſan Romano, contigiſſe legitur, in ea congeſtæ ſunt. Ipſa enim omnium Europæ vrbium opulentiſſima, quas ab altero pene terrarum orbe, quem prima aperuit, immenſas, nec vllis prius ſæculis auditas diuitias accipit, quas in vniuerſum Chriſtianum orbem largè diffundit, ac ipſos etiam barbaros, qui penitiora Aſiæ atque Africæ regna colunt, abundè locupletat. centum enim & amplius auri milliones, per aliquot annos, in Baſilica Indici commercij, in commentarios bona fide relatos conſtat, æſtimareque licet, tantundem à vectoribus occultatum, ne Rex ad tempus mutuetur timentibus. quid, ſi infinita, & penè incredibilis opum vis expendatur, quæ ad hæc tempora, à principio Atlanticæ nauigationis eo conuecta eſt, binis claſſibus quotannis non alio mercium genere, quàm auro & argento onuſtis, ac eò plerumque ſaburratis ad nos redeuntibus? Sed hæc peregrina & aduentitia quiſquam dixerit: porrò proprijs diuitijs adeo pollens eſt, vt Regi ſuo ſeſquimillionem aureorum in ſingulos annos obſequij & vectigalium ergo reddat, quantum multi Principes ex integris regnis vix corradere poſſunt. Verſantur ibi hoſpitum & aduenarum mercimonij cauſa, innumerabiles turbæ, ac præter hos cenſa ſunt in ea à proximis annis viginti quatuor ciuium millia, priuatas domos aut domicilium habentium, in viginti octo tribus diuiſa. In ea D. Mariæ Fanum, quo nullum habet Chriſtianus orbis excellentius, ſi operis amplitudinem & maieſtatem & Turrim

ſummæ celſitudinis (è qua ſtatis horis ſignũ datur) æditiſſimo & operoſiſſimo faſtigio admirabilem ſpectes, vnde in vniuerſam vrbem, & latiſſimè circumiacentes campos iucundiſſimus proſpectus eſt. Regiæ arcis ornamenta verè regia ſunt, qua nullam elegantioris ſtructuræ, aut gratioris voluptatis Hiſpani Reges habent. Ducum Comitumque & illuſtrium procerum hic palatia: amœniſſimis fontibus & viretis ornatæ ciuium ædes: Antiqui aquarum riui, longè per arcus, in varias vrbis regiones deriuati, & recentiores S.P.Q.H. ingenti ſumptu & induſtria ad Herculanas, quas vocant columnas deductæ, & publicæ voluptati dicatæ: eſt hic paluſtris & vliginoſa vaſtiſſimæ amplitudinis area, conſitis arboribus in pulcherrimum viridarium, latiſſimis ſpatijs, in circi ſpeciem, decurſiones & voluptuarias inambulationes relictis. Suburbani horti omnibus delitijs & amœnitatibus refertiſſimi ſunt per agros & ad Bætis ripas, magnificentiſſimè extructa prætoria, è quibus commeantes, & ex vtroque Orbe redeuntes quotidie ſpectare licet. Longum eſſet Vrbani Senatus, & regij Prætorij maieſtatem & Trianenſem arcem commemorare. Eſt autem Triana egregium ſuburbium, ter mille ferè ciuibus ad vlteriorem Bætis ripam habitatum, ſublicio ponte, & multis nauigijs ſtrato, citeriori ripæ atque vrbi ſe coniungens: qui verò Aruorum lætitiam & felicitatem omni genere frugum redundantem, conſideret, id certè luxuriantis naturæ, & profuſiſſimè genio indulgendis opus eſſe dicat, nec enim vſquam alias, vt humanis voluptatibus & commo-

dis

dis gratificetur, æquè delitias opeſque ſuas oſtentat atque exhaurit. Ex hac igitur ſitus, commerciorum, portus maris ac fluminis oportuna commoditate, vero & ſincero omnium iudicio natum eſt vulgi adagium; Hominibus quos Deus amat, Hiſpali domum largitur & victum. In ea ſiquidem multo melius viuitur & abundantius quam in alia quantumlibet vrbe ditiſſima totius Orbis. Eccleſiæ huius vrbis primariæ maieſtas opulentiaque breui compendio dici non poſſet, hoc fuerit ſatis ex collegiaſticis Rationibus conſtare Antiſtiti centum & amplius aureorum millia annui Reditus cedere: Primarij templi ſarta tecta 30. & amplius millia ferunt; Senatus verò Eccleſiæ 120000. quæ in Canonicos 40. & 11. prærogatiuæ dignitatis ſacerdotia: itidem in 20. Portionarios quos vocant, totidemque Semiportionarios ſodales diſtribuuntur. Sunt præterea ſacerdotes 20. quos à numero Vicenarios vocant, qui nocturnis diurniſque pſalmodijs ducentos & amplius aureos merentur: & ducenti alij Sacerdotes, qui ex priuatis Sacellis ſatis commoda ferunt ſtipendia: beneficia adhæc per omnem Diœceſim opima ſexcenta ferè, quorum multa ſingulis & binis aureorum millibus cenſentur; minorum verò Sacerdotiorum quas Cappellanias vocant, duo millia ferme numerantur. Sunt etiam in hac Diœceſi Monachorum & Monialium monaſteria, multa ſena aureorum millia annui reditus ferunt. Certè vnum Carthuſianorum, quod ad Bætim, in ipſo Hiſpalis proſpectu magnificentiſſimè eſt exſtructum, ſupra 25000. refert. Longè ſit Hoſpitales pauperum domos re-

recenſere, cum in vna Hiſpali tantum vltra centum viginti numerentur egregiè dotatæ, vt multæ 8000. aureorum, nonnullæ 15000. annuis reditibus locupletatæ ſint. Anno 1290. cepit Rex Ferdinandus ſecundus Hiſpalim, poſt 16. menſium obſidionem. Primo ab Hiſpali lapide viſuntur S. Ioannis del Fortache veteris caſtri ruinæ, incredibili magnitudine: collem occupant ad Bætim flumine. Ex eius ruderibus & erutis antiquitatibus apparet eam Arcem à Gothis quondam conſtructam fuiſſe. Ierenna famoſus prope Hiſpalim locus eſt, ob mirabilem Saxorum in circuitu diſpoſitionem, tanta multitudine in terram defixorum, quaſi cæleſti pluuia huc delapſa fuiſſent. Terræmotu id factum putatur, quo multa ædificia Hiſpali & Cordubæ & vicinis locis frequenter corruerunt.

ITER TOLETO ALBVRQVERQVIVM, & Oliſiponem.

Talaueram in itinere præcedenti numerantur mill. 14.

Oropeſa	6.	*La calſada*	4.	*Naual moral*	
Almaraz	4.	*Varcas darballa*			2.
Las caſas del puerto	4.	*Caraiſejo*			3.
V. de la lauandera	4.	*Caceres*			8.
Malpartida	2.	*Liceda*	2.	*o. Alburquerque*	4.

Simul 57.

ALBVRQVERQVIVM oppidum condidit Alfonſus Tellus ſenior, excellitque Ducatus titulo Alburquerquium.

Aronches	3.	*Montforte*	2.	*Veiras*	3½.
Eſtremos	4.	*V. del duque*	3.	*Raueglios*	3.

Mon-

Monte maior 3. *V.Siluera* 3. *V.La vico* 4.
Rio frio 4½. *Aldea galega* 2½. *V.Lisbona* 3.
Simul 38.

ITER PORTALEGRE, ALMERINVM, inde Oliſiponem, deindeque Bethleem & Caſcale.

Alburquerquium in præcedenti itinere numerantur mill. 57.
Algreta 3. *S.Antonio* 1. o.*Porta legre* 1.
Simul 62.

Portalegre ciuitas eſt nobilis & Epiſcopalis, caput Comitatus Portugalliæ.

Crato 1½. *Aldea de mate* 1½. *Villa fermoſa* 1.
Margen 1½. *Ponte Goto* 1. *Cheuto* 5. o.*Almerym* 3.
Simul 14½.

ALMERINVM pagus eſt à regione Santarenæ (quod oppidum veteres Scalabin nominarunt) inter quæ fluuius Tagus fluit XL.mill.paſſ ſupra Olyſiponem: locus planus & patens, à dextera & ſiniſtra collibus latè cinctus, frugum ferax, venationi opportunus, hyeme ſaluber, regijs ædibus nobilis: vbi Portugalenſes reges hyberno tempore, propter aëris temperationem vitam degere conſueuerunt.

Santarem 1. *Cataxo* 2. *S.Paio* 3.
Villa nueua de la Reina 1. o.*Alanquera* 1.
o.*Poues* 1. o.*Villa franca* o. *Alhandara* ½.
o.*Abrarquo* ½. *Porea do Condes* 1.
S.Giouan 1. *Sacan* 1. o.*Lisbona* 2.
Simul 15.

OLISIPO inſignis amplaque ciuitas eſt totius Hiſpaniæ primaria, tantaque eius Soli cælique cle-

mentia & amœnitas, vt nullo ferè anni tempore, nec æſtas, nec hyems immoderata ſentiatur, quo factum eſt vt multi mortales, ex diuerſis nationibus terriſque remotiſſimis, cœli puritate pellecti illuc commigarint, derelictoque Solo natali, & patriæ cura poſthabita, perpetuam ibi ſedem vitæque domicilium hic poſuerint. Diuitijs ſupra modum affluit, mercium quippe, quarum per vniuerſum Luſitaniæ regnum negociatio eſt luculentiſſima, exiſtens Emporium, vndequaque aduentantium nauium commodiſſimum ac fama celebre receptaculum.

OLISIPO ſeptem imprimis ingentibus ædificijs, ſumptu incredibili exſtructis illuſtratur. Horum primum eſt Miſericordiæ templum, quadrato vndique lapide exſtructum, non infinito prædiorum cenſu, ac prouentibus annuis vberrimis, quemadmodum pleræque omnes Baſilicæ, ſed ſola optimatum ac piorum hominum benignitate, ita ſuſtentatum, vt prope fidem ſuperet, quantum in annos ſingulos, ex collatitia Stipe in pauperes impendatur. Huius qui curam gerunt Sodales, ſiue vt expreſſius dicatur, Fratres miſericordiæ nuncupantur, quibus propter generis & nominis claritatem, & ſummam etiam pietatis probitatiſque exiſtimationem, negotium defertur. Hi communi conſilio, parique animorum voluntate Miſericordiæ ærarium adminiſtrant, ſummaque fide & integritate nullo habito perſonarum delectu, egentium omnium inopiæ conſulitur ac prouidetur, præſertim puellarum pupillarum, quibus iuxta cuiuſque qualitatem dotes in matrimonium con-

ſe-

ſeruntur : Tum etiam eorum qui graui aliquo incommodo, aut calamitate preſſi, vitam in mœrore rerumq́ue anguſtia trahere coguntur. Quo fit vt multorum tam incolarum, quam exterorum mentes ad largiendum alliciat perpetuus ille ordo, incorruptaque ratio, ærarij quotannis in pauperes exhauriendi : Nihil enim in eo pecuniæ vltra annuum tempus aſſeruari fas eſt, cumq́ue prouentus nullos habeat, nec ex inſtituto legibuſq; habere liceat, ex ærario tñ amplius 24. Ducatorũ mill. in ſingulos annos conſtat egentibus erogari, quin nonnullis annis numerum 40. millium æquaſſe vel ſuperaſſe compertum. Secundo loco eſt alterum Miſericordiæ ac humanitatis exemplum, valetudinarium videlicet commune pauperum infirmorumque hominum, nomine *Omnium Sanctorum*, non magnificentia ædificiorum, non ſumptuum magnitudine, non denique benignitate erga pauperes varijs corporis morbis conflictatos, & expoſitos infantes, quos nutriendos alendoſque curat, priori illi cedens : Id quatuor diuiditur clauſtris hortiſque amœniſſimis, porticibuſque quatuor & triginta, quibus circumcirca continenter adhærent ædes magnificæ, Triclinijs, lectis, Culcitriſque mundiſſimis decenter ornatæ, Ibi pauperes ægrotantes benignè liberaliterque excipiuntur; nec niſi recuperata in integrum valetudine inde dimittuntur, dato inſuper quibuſdam viatico, quo ſe non paucos dies, dum firmiores valentioreſque effecti fuerint, ſine vllo labore ac moleſtia ſubleuare poſſint. His porrò Quæſtorum, Curatorum, Medicorum, Pharmacopolarum,

cæte-

cæterorumque miniſtrorum domus, rectè diſtinctis ordinibus coniunctæ ſunt, vt infirmis, ſi quis caſus neceſſitaſve acciderit, præſto ſemper ſint. In reliqua regia Xenodochia, quibus Hiſpania clariſſimis celeberrimiſque præter cæteras Orbis Chriſtiani prouincias referta, hoc Oliſipponenſe facilè principatum ſibi vendicat. Pro huius foribus, patet campus apertus, planus vndique, quadrato pulcherrimarum ædium ordine circumdatus. Tertium eſt monimentum à D. Petro, Iohannis regis hnius nominis primi filio, ſumptu publico conſtructū: domus reuera ampliſſima, mirificoque opere admodum conſpicua. Quam dum nomine Alphonſi quinti ſui ex fratre nepotis, regni regimen ſuſtinet, extrui curauit, vt exterarum gentium regumque legati eo loci hoſpitium præberetur, publiciſque ſumptibus ibidem liberaliter magnificenterq; exciperentur. Quartum opus eſt ædificiū Ioannis regis, hoc nomine tertij. Duplex eſt magnificarum ædium ſtructura, cum totidem Porticibus, vtrinque triginta duobus Arcubus octingentiſque cellis exornata, auguſta æqualique areola interiecta, quæ domus frumentaria Reipubl. ac quaſi Luſitaniæ nutrix merito poſſet nominari. Ea ſiquidem mente horreum ibi publicum à Rege optimo & prudentiſſimo conſtitutum eſt, vt ſublato frumenti leguminumq; omnium Portorio, (quod non ſine Fiſci magno detrimento, ipſe omnium Regum Luſitaniæ primus plebi elargitus eſt) ſpe ingentis quæſtus mercatoribus propoſita, frumentum vndique eo conuehatur, eoque pacto plebs breui annonæ caritate ſubleuatur. Quintum eſt no-

nouum Portorium, ipſam maris crepidinem attingens, immanis quædam lapidum moles, tignis trabalibus confertim immiſſis ac fiſtucationibus in mare adactis ſuffulta, Regiſque eiuſdem iuſſu ſumptuque conſtructa: ædes profectò magnificæ opuſque pulchrum. Septum monumentum opere admirabili factum eſt, prædá ſpolijſque multarum gentium regumque fertiliſſimum, quod ab Indicis negotijs quæ ibi pertractantur, *Domum Indicam* vulgus appellat, Spectatoris autem iudicio, Aromatum, Margaritarum, Carbunculorum, Smaragdorum, aliarumque eius generis gemmarum, quæ quotannis huc ex India deportantur, Emporium copioſiſſimum, tum auri quoque & argenti facti infectique horreum ampliſſimum verius appellari poſſet, quod Cellæ ibi quàm plurimæ, miro artificio atque ordine diſtributas, maxima omnium harum rerum copia affluentes ab omnibus conſpici poſſint. Septimum vltimumque publicum monumentum, Cellis quàm plurimis ac Triclinijs quaqua verſum artificioſè fabrefactis inſtructum eſt, vt ob interiores ædium receſſus multiplices, aditusq; diuerſos, Labyrinthum eſſe verè exiſtimes. Ibi reges Luſitaniæ armamentarium ingenti armorum omnis generis copia refertum conſtituerunt: Machinarum item & Tormentorum, tum rerum omnium quæ ad bellum terra marique gerendum pertinent apparatu, adeo inſtructum, vt cæteris omnibus, quæ Europa Aſiave hodie inſtructiſſima copioſiſſimaque habere fertur, & multitudine machinarum, & infinito armorum telorumque numero facilè præſtet, Tribus ha-

rum

Digitized by Google

rum ædium cellis 40. millia peditum armatorum corpora, ac tria millia Cataphractorum integra diligentiſſimè nitidiſſimeque cuſtodiuntur, præter ea quæ ad quotidianos & extraordinarios motus depromuntur. Bombardici quoque generis Mortarij, Scorpiones, Baſiliſci, Leones, Colubrini, Cameli, Petrarij, Diſperſores, Ruptoresque inuſitatæ magnitudinis & ponderis, tum reliquorum etiam vulgarium miſſilium, quos Falcones Beocios Scloppoſque vulgus appellat. Vrbs Oliſipo, ea parte qua murus Tago adluitur, vtpote nobiliſſima eius parte, portis duabus & viginti diſtinguitur: pars verò quæ continentem reſpicit, ſedecim, quibus omnibus, propter infinitam hominum multitudinem eiuſque ambitum latiſſimum, maximè indigere videtur. Turribus autem per murorum gyrum ſeptuaginta ſeptem munitur. Templa, quæ à Græcis Parochiæ appellantur, in quibuſque Sacramenta adminiſtrantur quinque & viginti ſunt, præter ea, quæ plurima Monachis, Anachoretis Veſtalibuſque Virginibus ſunt attributa. Præcipuis annis feſtis diebus ex ipſa vrbe Oliſippone vltra triginta abſoluti cantorum chori, ad ſacra modulato cantu in pagis villiſque circum vicinis canenda, vna die exeunt, omnibus vrbis templis, in quibus muſica modulata canitur, ex eo nihil detrimēti ad ſuas celebrãdas feſtiuitates capientib⁹. Societates, quas Cõfraternitates vocant, CXXXI. ſunt, in quarũ vsũ ingens à Sodalibus quotãnis cõflatur pecunia, quæ in pauperes & alios vſus neceſſarios ſummo ordine elargitur. Vrbis territoriũ, ſuburbanis ruſticiſq; villis, ædificijs, magnificiſq;

quos

quocumque oculos verteris, propter agri fœcunditatem, vndique refertum videas. Agros paſſim, non vicis pagiſque ſolum, ſed Templis etiam caſtriſque innumeris & ornatiſſimis frequentari cum voluptate videntur: villæ autem, tam ruſticæ quàm ſuburbanæ, numerum ſexcentarum excedunt. Pagos, qui ab vrbis Magiſtratu ius petere coguntur ducentos quadraginta numerant, inter quos ſex & triginta priuatis proprijſque iudicijs ac Prætoribus vtuntur, ſuiſque oppidanis iuris dicundi poteſtatem habent, incolarumque controuerſias per ſe omnes dijudicant, niſi de cauſis capitalibus grauioribuſque agatur. Tunc enim ad ſummum vrbis Magiſtratum prouocatur, eiuſque ſententiam requirere compelluntur.

Bethleem 3.

BETHLEEM opidulum eſt, ibi Templum ingens ſpectatur D. Virgini dicatum, & Monachorũ, qui D. Hieronymi vitę inſtitutum profeſſi ſunt, cœnobium, incredibili ſumptu ac magnificentia conſtructum, Regis Immanuelis monumentum, quod dum viueret, ſibi ipſe deſignauit. Magnam tamen ipſi operi acceſſionem Ioannis tertius Immanuelis filius fecit. De qua re extat ibi in arcu celebre Reſcendij beſſalibus literis tetraſtichon.

Vaſta moles ſacrum diuina in littore matri
Rex poſuit Regum maximus Emanuel.
Auxit opus hæres regni & pietatis, vterque
Structura certant, religione pares.

Caſcais 3.

CAS-

Digitized by Google

CASCALE, vulgo *Caſcais* oppidum, ſitum eſt ab Olìſipone Aquilonem verſus; quo naues onerariæ, in anchoris conſiſtentes, accedente maris æſtu, auram opperiuntur; Portu vadoſo alioqui & anfractuoſo; Modico inde interuallo, aduerſo etiam flumine; Sinus efficitur in cubiti formam, in cuius fronte eſt ſacellum D. Iuliani; ſupra quod aliud D. Catharinæ ſacrum.

ITER TOLETO ALCANTARAM, TOMARAM, & Leiram.

Almaraz in itinere præcedenti numerantur mill. 28.
o. *Alcantara* 6. Simul 34.

ALCANTARA VETTONIAE oppidum à ponte nomen vna cum fluuio accepit, eſt in ripa Tagi ponte conſpicuo nominatum.

Camaueral	9. *Monforte*	6. *Mont aluam*	3.		
Apouoa	2. *Perdigaon*	3. *Proenza noua*	4.		
Dornes	3. *Aſpias*	2. *Tomar*	1.		

Simul 33.

TOMAR oppidum veteres *Neobantiam* appellarunt, eſt in Ciſtagana, inter Scalabim & Conimbricam, ab hac XXXVI. & ab illa XXI. mill. paſſ. diſtans, in longa ſed anguſta planitie: quam à dextra fluuius non longè illinc oriens abluit, à ſiniſtra colles vitibus & oliuis conſiti cingunt. In quorum vnius ſummo, nempe eius qui oppido imminet, templum eſt antiquum & auguſtum ac templo iuncta ingens atque pulcherrima domus olim militum Templariorum, nunc Chriſti militiæ Fratrum.

Senſolda 2. *Cieca* 3. *Valtroſo* 2. *Ourem* 1.

Pedrez

Pedrome	2.	*Caldelas*	2.	*o.Leira*	2.
				Simul	14.

ITER TOLETO CONIMBRIAM.

Perdigon numerantur in itinere præcedenti mill.					57.
Seiercra fermoſa	3.	*Pedragaongrando*			5.
Aluaizera	$1\frac{1}{2}$.	*Miranda*	3.	*Seira*	2.
o.Coimbra	1.			Simul	$72\frac{1}{2}$.

CONIMBRIA, vulgo *Coimbra*, olim regni Portugaliæ caput, veteribus quibuſdam Calabria, alijs Colimbria, multis naturæ & artis decorata eſt ſplendoribus. Nam loco amœniſſimo in rupe ſita, vndique oliuarum ſiluis, veluti Athenæ, quarum vicem hodie ſuſtinet vinetiſque cingitur, ad Muliadam ſiue Mondam, alias Mõdegam fluuium nobilem ſita, qui duas ſeparatas vrbis partes ponte coniungit. Mõtes quos habet Conimbra vicinos, oliuis, vinetis & omnis generis fructiferis arboribus ad delectationem & commodum ſunt referti. Quin & multis aquæ limpidiſſimæ fontibus Conimbria irrigatur, præcipuè verò Aquæductu celebri à rege Sebaſtiano Anno ſalutis 1572. maximo ſumptu perfecto. Ex illo enim, ad altiorem vrbis collem, qui à tergo regiæ eſt, vbi forum Studioſorum exiſtit, tanta clariſſimæ & dulciſſimæ aquæ copia in Stagnum marmoreum infunditur, vt per omnes plateas totius anni tempore, quaſi torrens, ad varios ciuium vſus, & multas commoditates deriuetur. Præſtat quoque Conimbria Cathedrali Eccleſia & vniuerſali præſtantiſſimarum artium ſtudio, quod & loci amœnitas, & variarum præſtantiſſimarum artium profeſſiones

commendat. Ibi enim regijs ſtipendijs Theologię, vtriuſq; iuris & Medicinarũ facultatis profeſſores, liberaliter fouentur & ſalariantur. 8. leucis à Conimbria viſitur fons ille admirabilis qui quicquid admotum fuerit abſorbet, cuius rei periculum factum fuit in arborum truncis & ramis, tum in iumento, quod fonti admotum pede, paulatim abſorberi cœptum, ęgrè tandem extractum eſt. Affirmat Plinius, alterum iuxta fluere, qui omnia reſpuat. Is hodie non extat, ſaltem ignoratur. Fons ille nunc appellatur *Feruentia*, & ager in quo viſitur, Cadima, non procul à Tentugalenſi municipio.

ITER TOLOE T PLACENTIAM, CAVRIam, Guardiam, Viſeum, & Eminium.

La calſada in itinere præcedenti numerantur mill. 24.
Toril 8. *Xarandilla* 5. o. *Placentia* 5.
Simul 42.

PLACENTIA, vulgo *Plazentia*, pulcherrima eſt ciuitas, cuius citria cæteriq; arborũ fructus paniſque candidiſſimus ſemper abundat. Habet Placentia oppida amœniſſima, in quibus eſt Xarabicium nemoribus & arborum fructibus placidiſſimum: item Paſaronnm in conualle iacens velut altare in teſtudine templi, ficubus, citrijs, & alijs arborum fructibus abundantiſſimum. Inſtitutum eſt hic abhinc 380. circiter annis nobile magnificumque muſæum, vnde in omni doctrinarum genere viri præſtantiſſimi prodierunt.

Coria 8.

CARIA, hodie Coria dicitur, ciuitas eſt Epiſcopalis, in Luſitania.

Guarda 14.

GVARDIENSIS Epiſcopatus hodie corrupto vocabulo *Egitanenſis* dicitur, mutata tamen ſede. Hunc Epiſcopatum Rex Portugalliæ Iohannes tertius, in duos diuiſit, Guardenſem & Portalegrẽſem, nimirum quod amplior videretur quàm vt ab vno rectè adminiſtrari poſſet.

Villa cartes	6.	o.*Viſen*	4.

Simul 10.

VISEVM oppidum Viſoncium dictum fuit, ciuitas eſt Portugalliæ non ignobilis, dignitatem antiquam & nomen retinet.

Mortagas	5.	*Eminium*	6.

Simul 11.

EMINIVM ſiue EVMINIVM ciuitas & flumen eiuſdem nominis, inter Conimbricam & Portugallenſem ciuitatem vt ex Plinio, & clarius ex Antonino Pio conſtat. Aliqui opinantur, neque ineptè, fuiſſe oppidum illud quod nunc appellatur Agada, ſitum ad flumen eiuſdem nominis.

ITER TOLETO LAMECAN, &c.

Canana	4. *Torryos*		2. *Colmenar*		16.
Aldea nueua	16. *Vergaria*		12. *Tonroes*		7.
Amendra	10. *Nonia*		4. o.*Lamego*		4.

Simul 75.

LAMECA, hodie Lamego, in Portugallia ad Duriam amnem ſedem retinet epiſcopalem.

Apala	2.	*Concibo*	8.	*Portocales*	6.

Simul 16.

PORTVGALLENSIS ciuitas ad oſtium Durij ſita & amplo portu nobilis, ac populoſa tantæ autoritatis, vt non Epiſcopo ſolum ſed etiam Regibus Portugalliæ titulum dederit. Ea Antonino Pio, ſi probo conſtat Lectio. Cale dicitur. Dicebatur etiam vrbs ab antiquis Lauara, comperta opportunitate, atque ſalubritate Portus ciuitatis, quum prouincia illa Gallecia dicta ſit ab Vlisbona Vrbe, ad omnem Oceani oram, vſque in finem Pyrenæi montis & promontorium Eoaſo, vrbemque Baionam, ideo Portus Galleciæ dictus eſt, vnde & Portugalliæ nomen exortum. Aliqui Portugalliæ gentem, nomen, regnum & linguam primum condidiſſe Gallos Henrico Lotharingo Duce volunt, cui portus vrbs, & vicina oppida ab Alfonſo Caſtrelæ rege, ex nomine ſexto, dotis nomine dota ſunt, vnde à Portu & Gallia duplicata voce (quæ opinio magnos auctores habet) ſeu potius quam maiori viri eruditione ſequuntur, de *Cale* oppidi, quod nunc Caia eſt, portui imminens, nomine, Portugalliæ appellatio facta eſt.

ITER TOLETO BRACARAM, vulgo Braga dictam.

Touroes in itinere præcedenti numerantur mill. 57. *Miraſrol* 9. *Villa Real* 5. *S. Goi de maraate* 4. o. *Braga* 6. Simul 81.

BRACARA vulgo Braga Portugalliæ quæ Interamnis dicitur antiquiſſima ciuitas, à Gallis Celtis cognomento Braccatis ſic appellata. Alij Bracaræ originem ad Carthaginenſes auctores referunt & à Bragadis. Bragadæ fluuij accolis conditam

tam & appellatam affirmant. Quacumque tandem cenſeatur origine, illud conſtat perantiquam eſſe vrbem, tantiquè Romanis fuiſſe vt Auguſtæ titulo ornaretur; & ab ea quicumque habitabant inter Durium & Limiam populi Bracati dicerentur, in quibus debellandis multos annos Romani ſudarunt. Auſonius poeta in Catalogo vrbium illuſtrium Bracarum, Emeritam, Cordubam, Tarraconem, quatuor præcipuas Hiſpaniæ ciuitates ponit, vnde colligitur, vſque ad Gothorum tempora florentiſſimam fuiſſe Bracaram. Eam Alphonſus huius nominis primus cognomento Catholicus, Hiſpanorum Rex, primam inter omnes Hiſpaniæ Metropolitanas vrbes ex Saracenorum tyrannide in priſtinam libertatem vindicauit Anno 740. hic regum Portugalliæ primus ſator Henricus Comes (Guidonis Vernohenſis & Brionenſis Comitis filius) Alphonſi Primi Luſitaniæ regis pater in templo maximo, quod ipſe erexerat, ſepultus fuit. Eſt Bracara in quinto Climate gradus habens longitudinis 6. latitudinis 42 ac ſemis. Diſtat ab Oceano leucas quinque. Ciuitas pleno iure ſuo Archiepiſcopo paret, ſiue ſpiritualem iuriſdictionem ſpectes, ſiue temporalem, multo quondam frequentior, nunc incolarum numerat ad duo millia. Fruitur magna cœli aeriſque clementia, inſigni agrorum vbertate & amœnitate, quod ei beneficium commune eſt, cum tota hac regione Interamni.

Viana 9.

VIANAM oppidum Portugalliæ maritimum aliqui Viennam Callæciam nominant.

ITER TOLETO TVDAM, vulgo *Tuy*.

Bracaram vſque numerantur in itinere præcedente mill. *81.*

Cocha	3.	*Valentia*	4.	o.*Tuy*	*1.*
				Simul	89.

TVDA ſiue TYDE in Gallecia ad Minium amnem ſita, nunc *Tuy* appellatur, & etiam nunc dignitate Cathedrali gaudet, vna eſt de amœnioribus Galeciæ ciuitatibus.

FINIS.